



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.
Canonum Ordinarii Professoris**

Laymann, Paul

Dilingæ, 1666

Titvlvs XXXI. De Officio Ivdicis Ordinarii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

Beneficij collatio irrita est, si à Sedis Apostolicę Legato impetrata sit, non facta alterius beneficij prius possessi mentione. Consentit Clem. 2. de offic. Ordinarij.

Verum, si alij Ordinarij beneficia conferant, necesse non est in impetratione beneficij prius habiti mentionem facere, vti habetur in cit. Clem. 2. Quamuis prius dimitti debeat, si vtrumque simul possideri non possit, vt Gl. hic notat ver. mentio. Rationem discriminis inter Legatum, & alios Ordinarios affert Gl. ver. nolumus: Quia potestas conferendi beneficia Legatis de latere concessa est quasi extraordinaria & superinducta, cedens in præiudicium aliorum collatorum, consequenter restringenda: sed aliorum Ordinariorum collatio est naturalis ac fauorabilis amplianda.

Aliam rationem dare possumus ex Zabarel. in cit. Clem. q. 17. Quia Legatus de latere Apostolica auctoritate confert, ideo eius collatio imitatur collationem Papę, quę per

subreptionem impetrata censetur, si prioris beneficij mentio non fiat; propterea quod Pontifex plerumque nesciat, quę quisq; Clericus beneficia obtineat. Quę ratio ferme etiam procedit in Legato à latere: Quare probabiliter dici potest, cum Gl. hic, ver. mentio, & Gl. in cit. Clem. 2. ver. facta, Zabarel. ibid. q. 4 & alijs apud Ancharan. hic, contra Ioan. Monachum hęc, & Lapum n. 6. Simo- tu proprio Legatus beneficium conferat alterum habenti, valere collationem, arg. c. si motu, 23. de præb. in 6. dummodò beneficia impossibilia non sint. Et quę dicta sunt de Legatis à latere, eadem dici debent de alijs Legatis, si ex speciali priuilegio aut delegatione Papę beneficia conferant, vti Gl. tradit in cit. Clem. & ibid. Cardin. Zabarel. q. 2.

Aliorum autem Ordinariorum collationes ideo non infirmantur ob prioris beneficij taciturnitatem, quia ferme notitiam habent, qualia beneficia Clerici singuli possideant.

TITVLVS XXXI. DE OFFICIO IVDICIS ORDINARIJ.

CAPITVLVM I.

SVMMARIVM.

Perniciosam.

PARAPHRASIS.



Episcopi potestatem habent in diocesisibus suis adulteria, aliaque scelera secundum canones inquirendi, eaque puniendi. Quod si necesse sit, etiam secularis magistratus auxilium implorent; non vt vnus Magistratus alteri præiudicet, (cum discretę eorum potestates sint) sed vt mutuis auxilijs id quod Deo placitum est, exequantur.

1. *Episcopus electus & confirmatus est Ordinarius iudex in diocesi sua in ordine ad Clericos, non exemptos; in ordine ad laicos, si causa spiritalis sint, & mixta.*
2. *Idem est de Prelatis exemptis, qui in subditos suos habent quasi Episcopalem restrictionem.*
3. *Legati Apostolici, Episcopi, & similes Prelati merum & mixtum imperium habentes possunt contra Reos procedere ad pœnam carceris, exilij, irremissionis, verberum, non tamen ad mutilationem & mortem.*
4. *Iudex Ecclesiasticus, si opus est, brachium suum*

seculare innocere debet.

5. *Eiusdem officij est ad petitionē Magistratus secularis subditos eius contumaces per censuras ad obedientiam compellere.*
 6. *Secularis Magistratus requisitus ab Ecclesiastico: si renuat ferre auxilium, censuris ad hoc cogi potest.*

NOTANDUM I. Episcopus est Ordinarius Iudex in diocesi sua. Quod intelligitur in ordine ad Clericos, non exemptos. Atque in ordine ad Laicos, si causæ spirituales sint, vel mixtæ, c. cum sit, 8. c. ex tenore, 1. 1. de foro compet. Nomine autem Episcopi, cui iurisdicctio in foro externo cõpetit, intelligitur qui electus, & confirmatus est, iuxta c. transmissam, 15. de elect. Et quod dicitur de Episcopo, locum etiam habet in Prælati exemptis, qui in subditos suos quasi Episcopalem iurisdictionem exercent.

Corollarium. Cùm Legati Apostolici, Episcopi & similes Prælati merum & mixtum imperium habeant, exceptis ijs, quæ ad primum gradum pertinent, & Principi specialiter referuata sunt, vt dixi lib. 1. Theol. mor. tr. 4. c. 5. n. 11. ideo contra reos procedere possunt ad pœnam carceris, exilij, treremium, verberum; non tamen ad mutilationem, mortem: Sed, si crimen mereatur, degradare debent, & degradatum Iudici seculari tradere. Ita docet Nau. in c. nullam, 18. q. 2. n. 52. seu q. sua, 18. Mol. tr. 5. disp. 7. vbi aiunt, hæc etiam locum habere in Prælati Ordinum exemptorum; cùm respectu suorum Regularium veluti Episcopalem iurisdictionem obtineant, iuxta c. Abbates, 3. de priuileg. in 6. Verùm in ijs quæ ad hæresis iudicium spectant, Religiosi etiam exempti inquisitori hæreticæ prauitatis, aut, si talis non adsit, Episcopi, tanquam Sedis Apostolicæ delegati, subsunt iurisdictioni, c. ad abolendam, 9. in fine, extrâ, de hæreticis.

NOTANDUM II. Si Iudex Ecclesiasticus in exercenda iurisdictione sufficiens nõ sit, subsidium à seculari magistratu petere debet, vt etiam infra habetur c. quoniam, 14. hoc tit. & in c. Princeps, 20. causa 23. q. 5. Quia duæ potestates, Ecclesiastica & secularis,

se mutuo adiuuare debent, vt Gl. hic monet, ver. publicum, argum. c. cum ad verum, d. 96.

Corollarium: Æquitas postulat, vt Iudex Ecclesiasticus, ad petitionem magistratus secularis subditos eius inobedientes, & contumaces per censuras ad obedientiam cõpellat; sed facta prius fide, & exhibito processu, vt crimen contumaciæ appareat: Secularis autem Iudex, requisitus ab Ecclesiastico vt subsidium afferat pro sententiæ suæ executione, si renuat, etiam censuris cogi potest, secundum Gl. cit. quam hic sequitur Innoc. & Abb. n. 11. & sumitur ex c. vt inquisitionis, 18. §. prohibemus, de hæret. in 6. Neque potest Iudex secularis processum iudicij ab Ecclesiastico petere, si crimen merè Ecclesiasticum sit, vt hæresis: cùm de tali crimine nec directè nec indirectè cognoscere possit, sed post latam à Iudice Ecclesiastico sententiã, meram executionem sibi demandatam habet, vt constat ex cit. §. prohibemus, & explicat Abb. cit. n. 11. & 12. Prosp. Farinac. tract. de hæresi, q. 186. §. 9. Secus verò est, si in alio crimine deprehensus Clericus tradatur Iudici seculari, ita vt efficiatur de foro seu iurisdictione eius, vt tradit Abb. hic. n. 12. Id verò non placet, quod idem ait n. 167. 168. Iudicem secularem compelli posse ad exequendam Iudicis Ecclesiastici sententiã, tametsi notorium sit, eam iniustam & irritam esse. Vide quæ dixi in tit. de Iudice delegato.

CAPITVLVM II.

Si Sacerdos.

PARAPHRASIS.

Si Sacerdos pro certo sciat (notitiã occultã) aliquem esse criminis reum: vel si ex sacramentali confessione cognouit, non debet illum nominatim arguere in publico; sed in determinatè, sicuti Christus dixit: *Vnus vestrum me traditurus est*, Matth. 20. Præterquam, si iudiciario ordine crimen probatum fuerit Sacerdoti. Deinde,

SSSS 3 si 15

fi is, cui damnum illatum est, petat sibi iustitiam administrari, non prohibetur Sacerdos (qui iurisdictione præditus est, v.g. Vicarius Episcopi) auctorem damni per sententiam generalem ac indefinitam excommunicare; nõ obstante quòd illum ex confessione nouerit: sed nominatim non potest eum à sacra communione remouere, quandoquidem eius crimen scit non vt Iudex, sed vt Deus, id est, Dei locum tenens. Quamobrem neq; Christus Iudam à communione remouit. Debet tamen eum admonere, ne se Sacramentis ingerat.

SUMMARIUM.

1. *Crimen alterius aliquis nosse potest tribus modis, vt persona priuata, vt publica, à populo vel magistratu constituta in foro externo iudicij; & denique vt Vicarius Christi, seu vt publica persona à Deo constituta in foro pœnitentiæ.*
2. *Crimina occultè cognita, in occulto corripipi debent.*
3. *Prelatus crimine ex confessione sacramentali cognito, potest accusationem, vel denuntiationem contra criminofum admittere, & conuictum vel confessum in foro externo punire.*
4. *Interrogatus de delicto ex sola confessione cognito, potest etiam iurare se nescire, scilicet, vt personam priuatam, vel vt reuelare sibi liceat.*
5. *Peccatori ex sola confessione cognito negari nequit etiam secretò petenti Eucharistia, vel aliud sacramentum.*
6. *Quà cautelâ loquendum in publica concione de criminibus in confessione sacramentali cognitis.*
7. *Confessarius in ipsa Confessione monere debet peccatorè indispofitum, ne ad SS. Eucharistiam sumendam accedat.*
8. *Potest excommunicari per sententiam generalem occultus auctor illati damni ab eo, cui crimen confessus est.*

NOTANDVM I. Tribus modis potest aliquis crimen alicuius nosse: Pri-

mò, vt persona priuata: Secundò, vt Iudex, seu vt persona publica, à populo, vel magistratu constituta in foro externi iudicij. Tertio, vt Vicarius Christi, seu vt persona publica à DEO constituta in foro pœnitentiæ. Ita notat hic Abb. n. 4.

NOTANDVM II. Crimina, quæ occultè cognoscuntur, in occulto corripipi debent, non in publicum euulgando, qua de re dixi lib. 3. Th. mor. tr. 3. vbi de denuntiat. fiat.

NOTANDVM III. Si Prelatus crimen ex confessione sacramentali cognouerit, non ideo prohibetur accusationem, vel denuntiationem contra criminofum admittere, & conuictum vel confessum in externo foro punire: dummodò hæc aliunde hauita criminis cognitio nullo modo adiuuetur ex notitia fori pœnitentiæ. Ita ex communi docui lib. 5. Th. mor. tr. 6. c. 14. n. 3.

NOTANDVM IV. Si Confessarius interrogetur de alterius delicto, quod ex sola confessione cognouit, dicere, imò iurare potest, se nescire, videl. vt personam priuatam, vel eo modo, vt reuelare ipsi liceat, quamuis sciat, vt persona publica, seu vt Vicarius DEI sub sigillo sacramentali. Ita ex communi docui lib. 4. Th. mor. tr. 3. c. 13. n. 6. §. interim.

NOTANDVM V. Peccatori ex sola confessione cognito non potest Sacerdos Eucharistiam, aliudue sacramentum petenti negare. Idque verum est, tamen peccator secretò petat sacramentum: eo quòd denegatio hæc tacitam peccati ex confessione cogniti exprobrationem contineat, vt ex probabiliore dixi lib. 5. Theol. mor. tr. 4. c. 6. n. 10.

Dubitatur primò: Verùmne sit, quod in hoc c. dicitur, Sacerdotem, si peccatum alicuius in confessione cognouerit, posse eum indeterminate, ac nulla nominata persona, attingere? Item, quod in fine c. dicitur, vt Sacerdos seu Confessarius admonere peccatorè, ne se sacramentis ingerat. Nam talis admonitio exprobrationem peccati cõtinet, à qua Confessarius abstinere debet, ne confessionem odiosam reddat. Ad I. resp. Quòd Confessarius pro publica concione non prohibe-

etur inuehi generatim in crimina, quæ ex confessione sacra cognouit: ita tamen, ut nemo merito suspicari possit, aliquem in particulari fugillari. Sed nec generatim dicere potest, talia in ciuitate aut pago committi peccata, si ex confessione cognita, & alijs notoria non sint. Ad II. resp. Quod Confessarius in ipsa confessione monere debet peccatorem, ne ad sacram Eucharistiam accedat, si dispositus non sit, ut absolutionem à peccatis mereatur. Deinde, si crimen in publico notorium existat, v. g. Presbyteri cædes, sed auctor ignotus, qui peccatum Sacerdoti confessus est; non prohibetur is pro concione admonere auctorem indeterminatè, ut ad Sacramenta non accedat, qui hoc crimen commisit, nisi DBO & Ecclesiæ, quatenus oportet, satisfecerit.

8 Dubitatur secundò: Quo pacto intelligendum sit, quod dicitur, Sacerdotem (si iurisdictione in foro externo præditus sit) potente læso, posse excommunicare occultum auctorem illati damni, non obstante, quod ipsi crimen confessus fuerit. Respond. Intelligendum id videtur de excommunicatione per sententiam generalem, nisi intra certum tempus iniustus raptor v. g. rem ablatam restituerit, ut ipso facto excommunicationem incurrat. Quæ de re dixi lib. 1. Th. mor. tr. 5. p. 1. c. 2. n. 2. §. censura.

CAPITVLVM III.

Cum ab Ecclesiarum.

PARAPHRASIS.

Si inferior Prælatus sententiam excommunicationis aut interdicti, ex rationabili causa tulit in clericos, vel laicos suæ spiritali iurisdictioni subiectos, Episcopus curare debet, ut censura illa inuolabiliter obseruetur, neque potest eam relaxare, sine præsentia auctoris, & ante præstitam congruam satisfactionem.

SVM MARIVM.

1. Explicatur regula: Superior Prælatus

relaxare potest censuram latam ab inferiore.

2. Episcopus in iurisdictione erga subditos concurrens cum inferiore sibi subordinato, licet absolute loquendo, possit excommunicatos, aut interdictos ab inferiore Prælato absoluerè, si tamen excommunicatio rationabiliter lata sit, non decet eum hac potestate uti, nisi prius audito Excommunicatore, & debitè præstità satisfactione.
3. Excommunicatum ab Episcopi Vicario, vel alijs ab eo delegatis, & ad nutum illius amobilibus, potest Episcopus arbitrari suo absoluerè.
4. Parochi de iure communi censuras ferre non possunt.

Explicanda hîc est regula, quam cum Gl. hîc ver. non relaxes, docet Abb. hîc n. 9. S. Th. in 4. d. 18. q. 2. a. 5. Palud. ibid. q. 5. a. 2. Syl. ver. absolutio 2. in princ. Couar. in c. alma, p. 1. §. 12. n. 2. Suar. de censur. disp. 5. Quod superior Prælatus relaxare possit censuram latam ab inferiore. Id verò intelligi debet de ijs superioribus Prælatis, qui iurisdictionem obtinent in ipsos censurâ ligatos, & non tantùm in excommunicatorem.

Ob cuius conditionis defectum Archiepiscopus absoluerè non potest excommunicatos à Coepiscopis; cum in subditos eorum iurisdictionem nõ obtineat, nisi ad ipsam appellatū sit, c. Romana, 3. de appell. in 6. & rotat Host. in sum tit. de sent. excom. §. 12. v. est & alia regula. Consequenter, si alicubi consuetudine præscripta introductum sit, ut Archidiaconus v. g. iurisdictione exerceat in Clericos sibi subiectos, excluso Episcopo, ita ut Episcopus intromittere se non possit, tunc Episcopus excommunicatos ab Archidiacono absoluerè nequit, uti rectè docent Palud. Cou. Syl. cit. II. argum. c. dilecto. 10. de offic. Archidiaconi, & c. auditis, 15. de præscript. vbi Abb. n. 4. notandum esse ait, quod totum ius Episcopale ab inferiore contra Episcopum præferibi possit.

Atque sic seu de iure, seu consuetudine in praxi obseruatur, ut excommunicatos à Præ-

à Prælatiſ Monafteriorum non exemptorum Epifcopus abſoluere non poſſit, niſi ad ipſum appellatum ſit, vti notat hic Abb. n. 10. Palud. cit. loco: Ratio eſt, quòd Epifcopus non habeat plenam iuriſdictionem in regulares: cùm eorum correctio primo loco ad Abbatem ſpectet, & Epifcopus ſe immiſcere non debeat; niſi concurrente negligentia, aut malitia Prælati, vel ſi crimina grauiſima ſint, præſertim quæ deſiſitionem merentur, ſecundùm Gloſſ. in c. quanto, 7. hoc tit. & docui lib. 1. Th. mor. tr. 5. p. 1. c. 7. n. 2. §. De Superiore.

Si autem ſubditus duos habeat Superiores cum ſubordinatione, quibus plenè ſubiectus ſit, ita vt vterque illi præcipere, eumque punire, conſequenter & pœnam relaxare poſſit, tum veriſſima eſt regula: Quòd excommunicatum, ſuſpenſum, vel interdictum à Prælato inferiore, Superior abſoluere poſſit: Sed non vice verſa. Quamobrem Papa excommunicatos à quibuſcunq; Ordinariis abſoluere poteſt. Generalis itè Ordinis eos, quos Prouincialis excommunicauit; Et Prouincialis, quos Guardianus, Prior, aut Rector ei ſubordinatus excommunicatione, aliâue cenſurâ irretiuit.

2 Sed quid dicemus de Epifcopo, ſi in iuriſdictione erga ſubditos concurrat cum inferiore ſibi ſubordinato? Reſpond. & Dico I. Si inferior ordinariam iuriſdictionem in foro externo habeat, quia non ab homine, ſeu Epifcopo, ſed ſecundùm legem, aut conſuetudinem diœceſis conſtituitur, vti quibuſdâ locis Archidiaconi, & Decani, etiam rurales, vti Palud. aduertit loco cit. tum locum habet reſponſio huius c. iun. Gl. communiter recepta, ver. non relaxes. Quòd licèt, abſolutè loquendo, Epifcopus poſſit excommunicatos, aut interdictos ab inferiore Prælato abſoluere; tamen, ſi cenſura rationabiliter lata ſit, hac ſua poteſtate vti eum non deceat, niſi priùs conſulto, & audito cenſuræ auctore, & debita præſtita ſatiſfactione. Quæ eſt communis ſententia, bene explicata à Suar. cit. ſect. 2. n. 17. & 18.

3 Dico II. Si Epifcopi Vicarius, vel alij ab ipſo delegati, & ad nutum illius amobiles

aliquem excommunicarunt, poteſt eum Epifcopus abſoluere arbitrato ſuo. Ita ſignificat Palud. cit. loco. Ratio eſt: Quòd tales Vicarij & delegati non proprio iure, ſed iure & auctoritate alterius iuriſdictione funguntur: Quare neque inter Prælatos numerari poſſunt, de quibus ſolis in hoc c. mentio eſt.

Sed quæritur de parochis, qui & Plebani dicuntur, vtrum nomine Prælatorum comprehendantur, ita vt ipſi in Parochianos ſuos cenſuras ferre poſſint. Ita affirmat Gl. magna hic. Ioann. Andr. n. 4. Imola n. 2. arg. huius c. Sed contrarium rectè docet Abb. in c. 2. hoc tit. n. 10. Quòd parochi locorū, ſpectato communi iure, ſeu ſecluſo ſpeciali priuilegio, aut præſcriptione, cenſuras ferre non poſſint, vti etiam ex praxi Eccleſiarum conſtat. Nam cenſuram ferre pertinet ad iuriſdictionem fori externi, vti apertè colligitur ex hoc c. & c. quærenti, 20. de verb. ſignif. c. 1. de ſent. excom. in 6. Sed Parochi, ſpectato communi iure, iuriſdictionem in foro externo non exercent, ſed tantùm in poſſentia, vti colligitur ex c. de perſona, 38. iun. Gl. ver. non ab alio, cauſa 1. q. 1. Ergo &c.

Ad argum. ex hoc textu deſumptum reſpondetur, Plebanum iſtum non fuiſſe ſimplicem parochum ſeu Curatum, cùm inter Prælatos numeretur, ideòque in externo foro iuriſdictionem ordinariam ac perpetuam erga parochianos habuerit, Eccleſiæ ſuæ iure ſpeciali annexam, vel Capituli electione ſibi acquiſitam, vti ſingulariter notauit Innoc. in c. quanto, 7. n. 2. hoc tit.

CAPITVLVM IV. Cùm vos.

PARAPHRASIS.

Si Patroni Eccleſiarum laici indignos Epifcopo præſentent, vel ſi inter ipſos & Epifcopum de iure præſentandi controuerſia exiſtat, vel ſi alia cauſa obſtet, quò minus Eccleſiæ ſtatim prouideri poſſit beneficiatus, tum Epifcopus, remota appellati-
one, œconomos interim conſtituat, qui
Eccleſiæ

Ecclesiæ aut beneficij vacantis fructus percipiant, eosque in Ecclesiæ utilitatem conuertant, aut successori referuent.

SYMMARIUM.

1. Patronus laicus indignum præsentans, pro ea vice iure præsentandi priuatus non est, sed alium idoneum præsentare debet.
2. Quod si intra quadrimestre tempus non fit, libera collatio seu prouisio collatori ordinario relinquatur.
3. Capitulum, vacante Sede, non potest conferre beneficia, quorum collatio libera ad Episcopum spectat: potest tamen œconomum constituere, & beneficium ad sex menses commendare.
4. Patronus Ecclesiasticus, vacante beneficio, potest œconomum constituere; non item patronus laicus, nisi priuilegio populi vel consuetudine legitime præscripta munitus sit.
5. Qui habet ius instituendi beneficiatum, vacante beneficio, potest ibi ponere œconomum, dum idoneus ad præsentationem patroni laici instituitur.

NOTANDVM I. Si patronus laicus indignum præsentet, non ideo pro ea vice priuatus est iure præsentandi, sed iubendus est alium, eumque idoneum præsentare. Ita Gl. hic, quam sequitur Innoc. hic in princ. Ioann. Andr. n. 2. Imola n. 3. & docui lib. 4. Th. mor. tr. 2. c. 13. n. 7. & colligitur ex textu: Si enim præsentando indignum laicus patronus ea vice priuatus esset, tum Episcopus statim prouidere posset, nec opus foret œconomum, sed administratorem fructuum constitui. Ceterum, si patronus laicus qui indignum præsentauit, intra tempus quatuor mensium ipsi ad præsentandum designatos (c. quoniam, 3. c. cum propter 24. de iure patron.) alium præsentare prætermittat, tum libera collatio seu prouisio collatori ordinario relinquatur, sicuti notat Ioann. Andr. cit. n. 12. Et quod paria sint nullum præsentari, & indignum seu inhabilem præsentari, E-

rit tamen necessarium, vt Episcopus seu collator mox significet patrono, præsentatum indignum esse. Sin autem patronus contendant dignum & idoneum esse, dum ea lis deciditur, prouidere non potest, sed Episcopus œconomum constituere cogitur, vt constat ex hoc c. & notat Ioann. Andr. n. 2. Imola n. 2.

Corollarium. Licet Capitulum, vacante Sede, conferre non possit beneficia, quorum collatio libera ad Episcopum spectat, potest tamen interim, dum Prælati substituitur, œconomum constituere, sicuti & beneficium ad sex menses commendare, vt dixi lib. 1. Theol. moral. tr. 4. c. 7. n. 13. & docet hic Abb. n. 2.

NOTANDVM II. Discrimen est inter patronum Ecclesiasticum, & patronum laicum; quod ille Ecclesiæ, alioue beneficio vacante, reddituum administrationem, & custodiam habeat, ideoque œconomum seu reddituum administratorem ibi constituere possit, argum. c. 3. §. In Ecclesijs, de Priuileg. & c. in Lateranensi, 31. de præb. & docet hic Innoc. n. 1. Ioan. Andr. n. 15. Abb. n. 8. At verò Patronus laicus, ne quidem vacante beneficio, reddituum administrationem & custodiam sibi vendicare potest, consequenter nec œconomum deputare; præterquam nisi Priuilegio Papali, vel consuetudine legitime præscripta munitus sit, iuxta c. generali, 13. de elect. in 6. & tradit Ioann. Andr. hic n. 15. Idque bene notandum monet hic Abb. n. 4. quia sepe laici patroni administrationes eiusmodi aut custodias fructuum sibi contra iura vendicant.

NOTANDVM III. Qui habet ius instituendi beneficiatum, vacante beneficio potest ibi œconomum ponere, donec aliquis idoneus ad præsentationem patroni instituitur. Ita Gl. ver. œconomus, in fine, Ioan. Andr. n. 16. Abb. n. 8. Sed intelligi hoc debet, si patronus laicus sit: Sin autem Ecclesiasticus; ipse, non autem Collator œconomum ponere potest, vt supra dixi: Ratio discriminis est: Quia Ecclesiasticus (non item Laicus Patronus) bonorum Ecclesiasticorum administrationi se ingerere potest:

T t t Qui

Qui autem per alium facit, perinde est, ac si faciat per seipsum, reg. 72. in 6.

NOTANDUM IV. Fructus beneficii vacantis in eiusdem utilitatem expendi, aut successori reservari debent. Ita habetur in fine huius c.

CAPITVLVM V.

Ex parte.

PARAPHRASIS.

Aliquis ab Episcopo suo excommunicatus, à Pontifice absolutionem impetrauit, causam excommunicationis aham, quam re ipsa erat, præterens; queritur, vtrum talis pro absoluto habendus sit. Resp. Alexander III. Si Episcopo certo constat, quòd ille veram excommunicationis causam supprimendo, & falsam suggerendo Pontifici imposuerit, debet ipsum per censuras compellere, vt cum literis eiusdem Episcopi verum causæ processum continentibus, ad Sedem Apostolicam se conferat. Sin autem non certò constat, sed suspectum duntaxat hominem habet, de suppressa veritate causæ, tunc eum cõpellat ad canonicam purgationem coram ipso præstandam, videl. vt testes idoneos afferat, qui testentur illum causam excommunicationis suæ fideliter exposuisse Pontifici.

SUMMARIUM.

1. Impetrans absolutionem ab excommunicatione subreptitiam, per suppressionem veræ causæ, & suggestionem falsam non debet censerì absolutus.
2. Si quis de crimine commisso verisimiliter suspectus sit, potest ei canonica purgatio indici.

NOTANDUM I. Impetrans absolutionem ab excommunicatione subreptitiam, per suppressionem veræ causæ, & suggestionem falsæ, censerì non debet absolutus. Ratio est: Quis ad absolutionem à censura ex parte absoluentis duo requiruntur; pote-

itas & voluntas. Tamen si autem in Papat non desit potestas, validè absoluedi excommunicatum, non subsisteme, aut ignorata iusta absoluedi causa, vt constat ex c. venerabilibus 27. §. sanè, vers. vbi autem, de sent. excom. in 6. tamen præsumendum non est, Papam ita absoluedi velle, si per falsa narrata circumuentus sit, arg. c. 2. de filijs Presbyt. in 6. Quòd si verò aliquis ex pluribus causis excommunicatus, v.g. ob Clerici percussione, & Ecclesiasticæ immunitatis violationem, absolutionem impetret expressè vna causa, & altera suppressa, valebit absolutio ab vna excommunicatione, altera permanente, iuxta c. cum pro causa. 7. de sent. excom. Sed non rectè Gl. hic ait, ver. redire, duabus irretitum excommunicationibus indigere duabus absolutionibus: Imò verò sufficit vna absolutio, dum modò absoluentis potestas, & voluntas se extendat ad veramque. Plerumque tamen in absolutione additur causa, ob quam censura contracta: *Absolutio ab excommunicatione, quam contraxisti ob Clerici percussione &c.* Vide quæ dixi lib. 1. Th. mor. tr. 5. p. 2. c. 6. n. 10.

NOTANDUM II. Si quis de crimine commisso verisimiliter suspectus sit, potest ei canonica indici purgatio. Ita habetur in c. 51. quis, 4. de purgat. canonica, vbi Gl. ait Verisimilis suspicio inducit purgationem canonicam, idemque hic tradit Ioann. Andr. n. 10. Abb. n. 7. Imola n. 7. post Innocent. sine huius c. qui tamen bene monet, requiri grauem seu vrgentem suspicionem, eamque publicè probabilem; alioquin non indicendam purgationem canonicam, nisi ei, qui publicè apud viros probos infamatus est. Et hoc casu verum est dictum Gl. fin.

CAPITVLVM VI.
Significauit.

PARAPHRASIS.

Aliqui consanguinitate, vel affinitate coniuncti, tanquam veri coniuges sint, conuiuiebant: eos Episcopus, cum separari contumaciter recusarent, excommunica-

ait. Sed illi conquerentes apud Pontif. de iniusta excommunicatione, impetrarunt literas ad Iudices delegatos, vt si ita esset, absoluerentur, & causa postmodum cognosceretur, iuxta c. cum contingat, 36. de officio delegati. Absoluti fuerunt, sed postea, non vt oportebat, à delegatis in causa processum ad tertium receptionem &c. quare illi in nefarij incestus crimine perseverant, & causa debitum finem non assequitur. Hoc casu, ait Cælestinus III. posse Episcopum sceleratos illos in crimine persistentes denuo excommunicare, neque iterum absoluedos fore, donec tertium receptio, & alia ad causæ processum pertinentia legitimè peracta sint: propterea quòd homines illi ex dolo suo commodum referre nõ debeant; neq; ex delegatorum Iudicum desidia aut malitia peccati sui suffragium consequi.

SUMMARIUM.

1. Quotiescunque agitur de peccato publico & scandaloso tollendo, Ordinarius delegatorum Iudicum desidia vel malitiam supplere potest, quatenus necessarium est ad amouendum peccatum.
2. Abutens beneficio absolutionis ab excommunicatione, quam ante litem obtinuit, & in eandem reincidentens, non est absoluedus, donec causa transacta sit.
3. Scientes contrahentes intra quartum consanguinitatis aut affinitatis gradum, vel cum moniali, ipso facto excommunicationem incurrit.

NOTANDVM I. Si causa aliqua ad Ordinarij iurisdictionem alioquin pertinens, per querelam, aut appellationem partis ad Iudices delegatos malitiosè deuoluatur, & illis in causa non procedentibus, ea occasione natriatur peccatum, potest Ordinarius, non obstante illa deuolutione contra sceleratos procedere, eos, si contumaciter in crimine persistant, excommunicando. Ita ex Hostiensis Ioann. Andr. n. 9. Abb. n. 2. vbi dicitur, tametsi in hoc casu specialis referatur,

tamen ex ratione æquitatis, ac necessitatis generatim dici debet; Quotiescunque agitur de peccato, videl. publico, & scandaloso tollendo, quòd Ordinarius delegatorum iudicum desidia vel malitiam supplere possit, quatenus necessarium est ad amouendum peccatum. Nam recursus ab inferiore ad superiorem Iudicem, in subsidium innocentium, & iustitiæ defensionem inuentus, non debet conuerti ad malitiæ defensionem, & patrocinium peccati: cum Superior iura naturalia & diuina tollere haud possit. Quamobrem existimandum est, idem eadem ratione sentiendum, si ab Episcopo ad Metropolitanum recurratur, atque ipso negligente procedere, reus in crimine persistat cum scandalo, quòd Episcopus per censuras compellere hominem possit ad tollendum peccatum.

NOTANDVM II. Si quis ante litigium promittens parere mandatis Ecclesiæ ab excommunicatione absolutus fuit, iuxta cit. c. cum contingat, postea verò, quia absolutionis beneficio abutitur, non est denuo absoluedus, donec causa transacta sit. Ita hic Gl. margin. ex Hostiensis, Imola n. 5. Abb. in fine huius c. & simile habetur in c. quæstioni, 21. de appellat. & c. venerabilibus, 7. §. Porro, de sentent. excommun. in 6.

Id Porro hinc addendum; Nouiore iure Clem. vi. de consanguinit. & affinit. scienter contrahentes intra quartum consanguinitatis aut affinitatis gradum, vel cum Moniali, ipso facto excommunicationem incurtere.

CAPITVLVM VII.

Quanto.

PARAPHRASIS.

Religiosi quidam, cum pecuniã collegissent ex redditibus beneficiorum, quæ vt obedientiarj administrauerant, à claustro se subducentes, in Principum ac potentum virorum curijs vagabantur. Eo intellectu Innoc. III. scribit Archiepiscopo Ausitano.

si tales in prouincia sua repererit, quòd monere debeat Abbates, vt illos ad claustrum reducant, & quæ vt propria possidebant, in manibus ipsorum resignent, cõuertenda in utilitatem Monasterij, secundùm eorundem Abbatum consilium: Sin autem Abbates, post monitionem id facere neglexerint, tum ipsemet Archiepiscopus, tanquam Ordinarius loci, Monachos per suspensionem officij ac beneficij, ad ea quæ dicta sunt, remota appellatione, compellat. Videri etiam potest Clem. 1. §. Quia verò, de statu Monach.

SUMMARIUM.

1. *Quæ Religiosus etiam propriâ parsimoniâ acquirit, absque Prælati licentia rationabili seruare non potest.*
2. *Correctio Regularium primo loco ad Abbatem, aliâque Præpositum regulariam spectat, eoque negligente ad Episcopum.*
3. *Exempti Regulares in omnibus causis criminalibus subsunt iurisdictioni & correctioni Prælatorum regularium, exceptis quibusdam specialibus casibus.*
4. *Regulares non exempti duos Superiores habent, Ordinis Prælatum, & Episcopum: illi quidem ratione voti obedientia in ijs, quæ regularem obseruantiam & disciplinam concernunt, huic autem subsunt, vt aly clerici legi iurisdictionis.*
5. *In civilibus causis, vt si Religiosus debitor fiat, coram Episcopo iudicialiter cõueniendus erit.*

NOTANDVM I. Quæ Religiosus, etiam propriâ parsimoniâ acquirit, seruare non potest absque Prælati rationabili licentia; cùm ad Monasterium pertineat, c. non dicatis, 11. causa 12. q. 1. c. 2. c. cùm ad Monasterium, 6. de statu Monachorũ. Casus est iste: Religiosus à Prælato suo deputatus est Vicarius alicui parochiæ seculari Monasterio incorporatæ, assignatis ad victum eius certa reddituum portione, si postea ad Monasterium reuocetur, pecunias, & alia quæ collegit, etiam genum suum defraudans, retinere non potest, sed Monasterio relinque-

re debet, secundùm Abbatis voluntatem ac dispositionem distribuenda.

Sin autè regularis alicui beneficio seculari, vel regulari, v. g. prioratui præfectus sit, cuius redditus nõ sunt incorporati Monasterio aut Abbatis mensæ, tunc redditus superflui seu à Regulari beneficiario non absumpti, pertinent ad beneficium, seu Ecclesiam, cui serui, vt obseruat hic Abb. n. 2. Nauar. comment. 2. de Regular. n. 6. & dixi lib. 4. Th. mor. 5. c. 7. n. 17. & 18.

NOTANDVM II. Correctio Regularium primo loco ad Abbatem, aliâque Præpositum regularem spectat, eoque negligente ad Episcopum. Ita Gl. magna communiter recepta. Sed, vt hæc res plenè intelligatur, ita distinguendum est ex doctrina Innocent. hic num. 1. Abbat. num. 3. Vel loquimur de exemptis, vel de non exemptis. Exempti in omnibus causis criminalibus subsunt iurisdictioni, & correctioni Prælatorum regulariũ, exceptis casibus quibusdam specialibus.

I Est in sess. 6. Trident. c. 3. de reformat. Quòd regularis extra Monasterium, seu conuentuallem domum aut residentiam degens, ab Ordinario loci, tanquam Apostolicæ Sedis delegato visitari, corrigi, ac peniri possit. Exiitimat verò Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 33. n. 23. Episcopos non posse censuras ferre in Regulares exēptos, nisi hoc ipsum eis peculiariter concessum sit: idque propter Mendicantium priuilegia, ne à quouis Ordinario loci excoñunicari, suspendi aut interdici possint, arg. c. 1. de priuileg. in 6.

II Est in sess. 25. c. 1. 14. de Regul. Si Regularis exemptus in Monasterio degens, extra claustra deliquerit, ita vt populo scandalo sit, Episcopus tempus præfigere potest Prælato Ordinis, intra quod reus ille seuerè puniatur, & de punitione Episcopus certior fiat: sin id intermitat Prælatum à Superiore suo officio priuetur, & Regularis, qui deliquit, ab Episcopo puniatur. Videri potest Barbosa de offic. Episc. p. 3. alleg. 105. n. 19. & 20.

III. In sess. 25. c. 4. de Regular. Vbi prohibetur, ne Religiosus sine licentia Superioris

oris à suo Conuentu recedat, etiam prætextu accedendi ad Superiores suos, nisi ab ijs vocatus sit: alioquin ab Ordinario loci, tanquam desertor Instituti puniatur. Excipi tamen debet, nisi ex graui & iusta causa ad superiorem Prælatum se conferat, vt quia ab immediato Prælato iniuste grauatur, vt docet Nau. comment. 2. de Regul. n. 61. Rodriq. tom. 2. Regul. q. 30. a. 3.

IV. Est in eodem c. 4. Quòd qui studio- rum causa ad Vniuersitates mittuntur, in Conuentibus habitare debeant, alioquin ab Ordinarijs cõtra eos procedi possit. His adde: Quòd professus, seu Religiosus quilibet excommunicationis sententiam ipso facto incurrat, si absque Prælati licentia, cum consilio Conuentus, aut maioris partis, ad quæuis studia extra Monasterium se conferat. c. 2. Ne Clerici, vel Monachi, in 6. De quo videri potest Sanch. tom. 2. moral. lib. 7. c. 8. n. 72.

V. Est in sefs. 7. c. 15. de reform. In ciuilibus causis mercedum, & personarum miserabilium, Regulares, etiam exempti, si extra monasterium, seu Conuentum regularem degant, coram locorum Ordinarijs tanquam à Sede Apostolica delegatis, conueniri, & ad debitum soluendum iustitia exigente compelli possunt.

VI. In causa hæresis, aut similibus criminibus ad tribunal sanctæ inquisitionis pertinentibus Regulares exempti subsunt iurisdictioni Ordinariorum, si in ijs locis Inquisitores non sint, vt supra dixi.

VII. Ordinarij locorum, etiam Regulares exemptos, si Ecclesias curatas quantumuis exemptas obtineant, compellere possunt, si ipsis videatur, etiam per censuras, vt diebus saltem Dominicis, & festis solemnibus plebem sibi commissam salutari verbo pascant.

Additur I. Quòd Regulares cuiuscunque Ordinis, neque in ipsis Ordinibus Ecclesiis prædicare possint, nisi se Episcopo, cum licentia & approbatione Superioris sui se præsentarint; & quòd benedictionem accipere teneantur, antequam prædicare incipiant. Additur II. Si Prædicator errores, aut scandala disseminet in populum, Episcopus

ei prædicationem interdicare, sin autem etiam hæreses prædicauerit, Episcopus contra eum, si exemptus sit, tanquam Apostolicæ Sedis delegatus procedere debet. Vide etiam Sefs. 24. c. 1. de reform. vers. nullus. & decretum Gregor. XV. quod incipit: *Inscrutabili*.

VIII. In Trident. Sefs. 24. c. 1. de reform. matrim. Si regularis alterius parochiæ spon- sos sine proprij parochi licentia matrimo- nio coniungere, aut benedicere ausus fuerit, ipso iure tandiu suspensus manet, donec ab Ordinario eius loci absolua- tur.

IX. In Trident. Sefs. 25. c. 16. de Regu- lar. Quòd Episcopi regulares quoscunque etiam per censuras compellere possint, ne quidquam ex bonis Nouitij accipiant, & vt acceptum abeunti ante professionem restitu- ant. Ita Rodriq. tom. 2. q. 64. a. 11. Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 33. n. 23.

X. Eadem Sefs. 25. c. 5. de Regularibus; Episcopi, tanquam Sedis Apostolicæ dele- gati, etiam per censuras compellere possunt Moniales exemptas ad clausuram seruadã. Neque ipsis post professionem ex Monaste- rio egredi concessum est, nisi ex causa legiti- ma ab Episcopo approbanda.

XI. In Trident. Sefs. 22. decreto de vi- tandis, & obseruandis circa celebrat. missæ: Quòd Episcopi & Sedis Apostolicæ delegati, etiam per censuras procedere possint con- tra exemptos, si in oratorijs priuatis, aut ho- ris non debitis celebrent; & cogere eos, vt quascunque superstitiones ablegent.

XII. In Sefs. 24. c. 2. de reform. Quòd ad synodum, quæ quotannis ab Episcopis in- stitui deberet, exempti omnes, qui aliàs, ces- sante exemptione, interesse deberent, nec Capitulis generalibus subduntur, accedere teneantur. Ratione verò Ecclesiarum secu- larium, annexarum Monasterijs exemptis, quicunq; illarum curam gerant, Synodo in- teresse cogantur. Vide quod dixi in c. 2.

XIII. In Trident. Sefs. 25. c. 12. de re- form. Censuræ & interdicta, à Sede Aposto- lica emanantia, vel ab Ordinarijs promulga- ta Regulares in Ecclesiis suis, Episcopo præ- cipiente, publicare ac seruare debent. Dies

item festos, quos in diœcesi seruandos Episcopus præceperit, Regulares etiam exempti obseruare coguntur. Vide Rodriq. tom. 2. q. 71. a. 1.

XIV. Regulares etiam exempti ad publicas processiones vocati, accedere debent. Controuersias quoque, quæ in processibus, aut defunctorum corporibus sepeliendis cum scandalo interdum oriuntur, Episcopi componere debent.

XV. In Regulares confessarios, & Administratores Bonorum Monasteriorum, Monialium, etiam exemptarum, Episcopis potestas concessa est à Greg. XV. Papa cit. decreto Inscrutabili: Et vt Episcopus vnà cum Prælatis seu superioribus Regularibus electioni Abbatissæ, seu Præpositæ per se vel suum delegatum præsidere possit.

XVI. Regulares, etiam exempti, si sint testamentorum executores, ab Episcopo compelli possunt ad rationem ipsi reddendam, & si malè gesserint, ab eodem puniri, iuxta Clem. Vn. de testam. & tradit ex communi Barbofa p. 3. allegat. 82. n. 34.

Quod verò attinet ad Regulares non exemptos, ij duos Superiores habent, Ordinis Prælato, & Episcopo. Sed discrimen est, quòd Prælato Ordinis obedire teneantur ratione voti obedientiæ, in ijs videl. quæ ad regulares obseruationes, & disciplinam Monasterij pertinent: quare in his magis est obediendum Prælato, quàm Episcopo, iuxta doctrinam S. Th. in 2. d. 44. in fine, in expos. literæ ad 3. Innoc. hic n. 2. Abb. n. 5. & expliçant Syl. ver. obedientia, q. 9. Sanch. lib. 6. moral. c. 1. n. 12. & dixi de hoc in c. ad aures, 5. de tempor. ordinat. Atque adeò Prælatus Ordinis potestatem habet subditos suos regulares ad regularem disciplinam adigendi, vt contumaces & incorrigibiles eiicere queat, vt Innoc. Abb. Syl. tradunt cit. locis. At verò Episcopo Regulares subsunt non ratione voti, sed vt alij Clerici iurisdictionis legi subiecti sunt, vt dixi in qq. disput. de elect. q. 227. Quare in ijs, quæ ad ecclesiasticam disciplinam attinent, & quoad punitionem criminum grauiorum, præsertim quæ deposi-

tionem merentur, propriè & directè subiacentur Episcopo; cum etiam ipsi Prælatus non exempti in his subsint, vt aduertit Syl. ver. obedientia, q. 10. dicto 2. Abb. in c. repet. si quis contra, n. 51. de foro compet. Sanch. cit. loco, & alij.

Cæterum, si Prælatus Monasterij non exempti negligens sit in regulari disciplina obseruanda, & quotidianis lapsibus puniendis, nemo dubitat, ad Episcopum pertinere iurisdictionis huius exercitium. Nam ob eam causam monasteria visitat, & inquirit, vt rùm regula Ordinis obseruetur, morum ac disciplinæ integritas vigeat: alioquin frustranea ferme esset subiectio Monasteriorum erga Episcopum, nisi tali potestate præditus esset, sicuti rectè ostendit Suar. de Reg. tom. 3. lib. 10. c. 11. n. 15. Quòd verò ibidem ait, quamuis dubius, Religiosos non exemptos Episcopo subesse non tantum secundum potestatem iurisdictionis, quam habet erga omnes ecclesiasticas personas, vt eas ad officium, & quæ ad salutem conuenientia sunt, adigat, sed etiam ratione voti obedientiæ, quod probabiliter arbitratur, non tantum Ordinis Prælato fieri, sed etiam Episcopo; id à DD. alijs non recipitur; quare nec credibile est, talem esse vouentium intentionem, aut Ecclesiæ praxin.

In ciuilibus autem causis, si Religiosus v. g. in Academia studiorum causa degens debitor fiat, coram Episcopo potius iudicialiter conueniri debet, quàm coram Abbate, quia is esset iudex in facto proprio, cum solutio ex bonis monasterij fieri debeat. Sin autem monasterium, ad quod professus pertinet, & ex cuius bonis solutio fieri debet, subiectum sit Abbati alterius monasterij, coram ipso æquè ac coram Episcopo conueniri poterit. Quare hoc casu Episcopus & Abbas concurrunt in iurisdictione, vt Innoc.

& Abb. hic n. 5. docent. Videri potest idem Abb. in c. repetit. si quis contra, num. 50. de foro compet.

CAPITVLVM VIII.

Ad reprimendam.

PARAPHRASIS.

Si Episcopus diœcesanum suum excommunicauit, alij etiam Episcopi, ipseque Metropolitanus hominem pro excommunicato habere debent. Quia sicuti ipsi latus à se sententias seruari volunt, ita etiam oportet, ut ab alijs canonicè promulgatas censuras obseruari faciant. Sin verò excommunicatus ab Episcopo, de iniusta excommunicatione apud Archiepiscopum conuincatur, quandoquidem excommunicationis sententia per appellationem non suspenditur, ideo Archiepiscopus deferens Coepiscopo mittere debet excommunicatum ad excommunicatorem suum, ut ab eo secundum Ecclesiæ formam absoluat: sin is recuset, tunc Archiepiscopus eundem absoluat, recipiens ab eo (nisi legitime constiterit, iniuste excommunicatum fuisse) iuratoriam cautionem, quod Episcopo competentem satisfactionem præstare velit. Quod si facere contempserit, eadem qua antè tenebatur, excommunicationis sententiâ, remota appellatione, eum constringat.

SUMMARIVM.

1. Excommunicatus in vno loco, ubique excommunicatus est.
2. Appellatio à sententia excommunicationis, alteriusue censura non parit effectum suspensiuum, sed tantum deuolutiuum.
3. Excommunicatus ab Episcopo Metropolitanus, tametsi ad ipsum appellatum sit, ordinariè non ipsemet absolueret, sed ad Excommunicatorem remittere debet; nisi periculum in mora sit, vel Episcopus absoluerè renuat, aut legitime constet, excommunicationem iniuste illatam esse.

4. Ante absolutionem ab excommunicatione in externo foro cautio de satisfaciendo exigenda est.

NOTANDVM I. Excommunicatus in vno loco, ubique excommunicatus est, quia excommunicatio afficit personam, eamque contigitur sicuti lepra, ait Abb. h. c. n. 2. Idemque dicendum de Iudicis, aut legis sententia infamiam, aut inhabilitatem aliquam inuehente, iuxta l. non potest, 63. ff. de furtis, ubi dicitur, impossibile esse, ut furti damnatum non sequatur infamia. Vtrum verò excommunicatus non toleratus, si aliò se conferat, ubi eius excommunicatio publicè ignoratur, vitandus sit ab ijs, qui eam priuatim sciunt, dixi lib. 1. tr. 5. p. 1. c. 4. n. 3.

NOTANDVM II. Appellatio à sententia excommunicationis, alteriusue censura non parit effectum suspensiuum, sed tantum deuolutiuum. Ita etiam habetur in c. is cui, 20. §. sanè, de sent. excomm. in 6. & docent DD. in c. pastoralis, 53. §. verum, de appellat. & dixi lib. 3. tr. 6. c. 6. n. 5. & explicat hic Abb. n. 9. Sensus est: Quod sententia excommunicationis, alteriusue ecclesiasticæ censura (dummodò ipso iure irrita non sit) executionem secum trahat, hominemque re ipsa priuet bonis communibus Ecclesiæ, ad eò ut non obstante appellatione, homo priuatus maneat, & ut priuatus denuntiari possit, uti expressè habetur in cit. §. verum. Interim hunc saltem effectum parit appellatio, ut Iudex, ad quem appellatum, causam & iustitiam excommunicationis cognoscat, atque hominem, si ipsi videatur, absoluendum esse declaret.

Ratio, cur appellatio ab excommunicatione, aliæue censura, effectum suspensiuum non pariat, affertur in Gl. hic, ver. suspenditur, & clarè habetur in cit. §. verum; quia executionem excommunicatio secum trahit. Contra quam rationem, tanquam insufficientem, obijcit Gl. in cit. verum, §. cum executionem. Etiam sententia condemnationis de furti crimine v. g. executionem secum trahit, uti habetur in c. l. non potest: Et tamen per appellationem effectus eius suspenditur, uti

habe-

habetur expressè in l. furti, 6. ff. de his qui notantur infamià; *Si furti, vel aliis famosis actionibus condemnatus pronocauit, pendente iudicio, nondum inter famosis habetur.* Resp. Ita iure ciuili statutum esse, vt tamen si sententia absolutè lata sit, tamen non omnino efficaciter censeatur afficere personam, donec elapsum sit tempus decendij, quod pro appellationis subsidio conceditur. At verò censuræ, præsertim excommunicationis sententiæ, quæ ex ecclesiastica à Christo tradita potestate, seu clauæ procedunt, si absolutè alicui imponantur, efficaciter in eum transeunt, iuxta verbum Christi Domini Matth. 18. *Quaecunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in calo.* Neque alium decet esse modum liberandi se à vinculo per Ecclesiam iniecto, nisi per eiusdem absolutionem: quare subiungitur: *Et quaecunque solueritis, erunt soluta & in calo.* Exinde verò prouenit commune Canonistarum pronuntiatum; Excommunicationis sententiam, aliamue propriè dictam censuram alio modo tolli non posse, nisi per canonicam absolutionem.

3 NOTANDVM III. Excommunicatos ab Episcopo, Metropolitanus, tamen si ad ipsum appellatum sit, ordinariè non ipsemet absoluere, sed ad excommunicatorem remittere debet. Excipitur primò: Nisi periculum in mora sit, iuxta c. sacro 48. de sent. excommun. Secundò: Si Episcopus absoluerit renuat, tunc Archiepiscopus absoluet, vt hic. Tertio: Si legitime constet, excommunicationem iniuste illatam esse, vt hic. Verum tamen si de hac iniustitia cognoscendum sit, excommunicator Episcopus citari debet, vt eo presente cognitio fiat, sicuti monet Gl. in cit. c. sacro, ver. constituet, & sumitur ex c. Romana, 3. §. sententias, de appellat. in 6. Videri potest Syl. ver. absolutio, 2. q. 7. Tabiena ver. Archiepisc. n. 3. Suarez de censur. disp. 7. sect. 2. n. 3 2. & quæ scribit Quaranta in Summa Bullarij, ver. Archiepiscopi auctortas 18.

4 NOTANDVM IV. Ante absolutionem ab excommunicatione in externo foro cautio de satisfaciendo exigenda est, saltem iu-

ratoria. Quod intelligitur, si absolendus de violando iuramento suspectus non sit, vt hic notat Abb. c. 4. & dixi lib. 1. tr. 5. p. 2. c. 6. q. 2. dicto 4.

CAPITVLVM IX.

Duo simul.

PARAPHRASIS.

Primates, ac Patriarchæ, licet honoris prerogatiuas inter alios habeant, tamen non exercent iurisdictionem erga subditos Archiepiscoporum, nisi vel sacri Canones concedant (vt in causis appellationum) vel diuturna consuetudo, vel speciale Apostolicæ Sedis priuilegium, seu id Ecclesiæ, seu personæ datum sit.

SUMMARIVM.

De causis eorum, qui Archiepiscopis, & Episcopis subditi sunt, nec Patriarcha, nec Primas cognoscit, nisi per appellationem legitimam, aut vigore consuetudinis, seu priuilegij.

NOTANDVM I. Sicuti plures Episcopi sunt sub vno Archiepiscopo, seu Metropolitanano, ita plures Metropolitanani sunt sub vno Primato seu Patriarcha, vt colligitur etiam ex c. 1. d. 99. Quare sicuti Metropolitanus spectato communi iure, causas eorum, qui Coëpiscopis subiecti sunt, non cognoscit, nisi per appellationem ad ipsum deuoluantur, c. pastoralis, 11. hoc tit. Ita nec Patriarcha, aut Primas cognoscere potest causas eorum, qui eiusdem regni, aut regionis Archiepiscopis subiecti sunt, nisi per viam appellationis. Ita Gl. magna hic, Imola hic n. 2. Abb. n. 1.

NOTANDVM II. Iurisdictio ordinaria tribus modis comparari potest, Vel ex lege, seu canone: Vel ex consuetudine legitime præscripta: Vel ex Principis priuilegio, dato dignitati, aut personæ. Ita Imola hic n. 1. Querunt hic, quod discrimen sit inter Patriarcham, & Primatem. Resp. Omnis Pa-

triarcha etiam Primas dici potest, seu primæ, aut primariæ Sedis Episcopus, vti colligitur ex c. primæ, d. 99. & docet Petr. Greg. Thol. lib. 15. syntag. c. 10. Sed non omnes Primates Patriarchæ dici possunt; quia maius Patriarcharum nomen ac dignitas censetur, vti bene docet Guil. Dur. in specul. tit. de iurisdic. omnium Iudicum, n. 8. & Ioan. Andr. hic n. 8. Nam primis seculis, vsque ad Iustinianum Imperatorem, eæ tantum Ecclesiæ Patriarchales dicebantur, quas S. Petrus Episcopus ac Pater fundavit, ijsque vti proprius Episcopus præfuit, videl. Romana, Alexandrina, & Antiochena: sed temporis successu obtentum, vt etiam Constantinopolitana, Hierosolymitana, & aliæ quædam principales Patriarchales Ecclesiæ dicerentur: De quibus rectè intelligitur, quod hic Gl. docet ver. Patriarcha, diuersitatem (inter Patriarcham & Primatem) in nomine esse, sed dignitatem eandem.

CAPITVLVM X.

Quod sedem.

PARAPHRASIS.

Ieronensis Archiepiscopus quæsiuit ex Innocent. III. Si infirmitate, aliæque causa impeditus esset, quò minus Suffraganeum seu Episcopum prouinciæ suæ conseruare posset, vtrum alteri Coepiscopo vices suas committere concessum sit. Respondet Papa, id licitum esse; dummodò Episcopus ille Catholicus sit, & in gratia communionis cum Sede Apostolica constitutus

SUMMARIVM.

1. Munus consecrandi Episcopos ad Archiepiscopum secundum Canones pertinet; consuetudo apud nos obtinuit, vt ad consecrationem Episcopi vicinus Episcopus adhibeatur, assistentibus duobus alijs Episcopis, saltem titularibus.
2. Episcopi & Archiepiscopi etiam ea, quæ meri imperij sunt, alteri committere possunt.

NOTANDVM I. Munus consecrandi Episcopos secundum Canones ad Archiepiscopum pertinet, iuxta c. 1. & seqq. d. 65. quoniam, d. 75. Ita vt ipse sit principalis consecrans, assistentibus sibi duobus Episcopis, c. porrò, d. 66. Apud nos verò consuetudo obtinuit, vt ad consecrationem Episcopi, vicinus aliquis Episcopus adhibeatur, assistentibus ei alijs duobus Episcopis, saltem titularibus.

NOTANDVM II. Episcopi, & Archiepiscopi etiam ea, quæ meri imperij sunt, alteri committere possunt. Ita Gl. hic communiter recepta, ver. committere, quam commendans Abb. n. 4. ait: Quòd de iure canonico omnia delegari possunt ab Ordinarijs, etiam quæ sunt meri, & mixti imperij. Secus autem est de iure ciuili, vti constat ex l. 1. ff. de officio eius, cui mandata est iurisdic. vbi habetur; Ea, quæ ad merum, & mixtum imperium spectant, maioribus tantum iudicibus, in speciale eorum priuilegium, concedi, ideòque delegari non posse, (ordinariè, & seclusa absentia, alioue impedimento) sed ea duntaxat delegabilia esse, quæ iure magistratûs, id est, cuiuslibet magistratui, seu iurisdictionem ordinariam habenti, competunt. At verò delegati à Principe, tam ciuili quàm canonico iure, causas quascunque, etiam criminales delegare possunt, nisi appareat personæ industriam specialiter electam esse, vti constat ex l. 1. in fine, C. qui pro sua iurisdic. iun. Gl. margin. & docet Innoc. in c. venerabili, princ. de offic. deleg. Porrò quid sit imperium merum, quid mixtum, quid simplex iurisdictionis, legi potest apud Guil. Dur. in specul. tit. de iurisdic. omn. Iudic. Bartol. in l. Imperium, ff. eod. tit. Abbas. hic n. 5. & lib. 1. moral. tr. 4. c. 6.

NOTANDVM III. Cùm conceditur facultas accipiendi ordinationem ab Episcopo, intelligitur de Catholico, & qui Sedis Apostolicæ communionem habet; ideòque schismaticus non sit, neque excommunicatus, aut suspensus. Ita Gl. hic ver. gratiæ. Consentit c. quia, 5. de elect. c. 2. de ordinatis ab Episcopo, & c. 1. & 2. de Schismaticis.

Vuuu CAP.

CAPITVLVM XL

Pastoralis.

PARAPHRASIS.

Si ad Archiepiscopum causa aliqua per appellationem deuoluta sit, potest eam Coepiscopi sui subdito (v.g. Collegiatæ Ecclesiæ Decano, aut Canonico) delegare, non tamen eundem ad suscipiendam delegationem compellere; cum in subditos Coepiscoporum, exceptis quibusdam articulis, iurisdictionem nullam habeat, sed tantum in ipsos Coepiscopos.

SUMMARIVM.

1. Si causa civilis inter Episcopum & eius Clerum agitur, eligendi sunt arbitri ex partium consensu. Si criminalis, ad Archiepiscopum in Synodo residentem causa deferenda est, qua si non habeatur, nec in Prouincia ab Vrbe remota ad sit Apostolicus Legatus, ea ad Archiepiscopum deuoluitur.
2. De iure canonico causa appellationis delegari potest, non autem de iure civili.
3. Superior causam delegare potest etiam non subdito suo.
4. Excommunicatum nemo absolueri potest præter excommunicationis Auctorem, Superiorem, aut Successorem, excepto articulo mortis.
5. Qui ob contumaciam Rei missus est in possessionem, causâ rei seruanda, Reo intra annum non comparente, nec præstante cautionem de iudicio sisti, verus possessor constituitur.
6. Si quid agendum coram suo iudice v.g. cautio præstanda de iudicio sisti, in eius absentia coram alieno iudice, aut alia publica & honesta persona, v.g. tabelione, id agi potest.
7. Non sufficit cautio oblata, sed præstanda est, nisi per aduersarium stet, quò minus oblata recipiatur.

NOTANDVM I. Licet Archiepiscopus sit Ordinarius Superior Coepiscoporum, tamen in subditos eorundem iurisdictionem exercere non potest, præterquam in casibus iure expressis. De hac re dixi in c. 1. de suppl. negl. Prælat. in 6. & lib. 1. Theol. moral. tr. 4. c. 7. §. 3.

QUÆRES: Si inter Episcopum, & Clericum sibi subditum controuersia existeret, utrum Archiepiscopus Iudex esse possit. Causa quærendi est: Quia cum ipsemet Episcopus in propria causa Iudex esse nequeat, videtur consequens, ut ea ad proximum Ordinarium deuoluatur; quandoquidem Metropolitanus ordinarius Iudex est totius prouinciæ suæ, uti constat ex c. 2. causa 9. q. 2. Quamuis habeat iurisdictionem potius habitualem, & non expeditam, nisi in casibus iure expressis, uti Gl. hic monet, ver. exceptis.

Resp. ad q. Si causa civilis inter Episcopum, & Clericum agitur, eligendi sunt arbitri ex partium consensu, uti habetur in c. si Clericus, 46. causa 11. q. 1. Vbi Gl. communiter recepta ver. arbitros, ibidem Ioan. Turrecremata, Gl. item in c. irrefragabili, 13. §. cæterum, hoc tit. aiunt, quod Episcopus compellere possit subditum, quocumque controuersia ipsi est, ad arbitros eligendos. Sin autem criminalis causa inter Episcopum & subditum suum agitur, ait Gl. hic ver. exceptis, Hostiensis in sum. huius tit. ver. crimen, Abb. in cit. §. Cæterum, n. 1. ibid. Vincent. & Ioan. Andr. n. 29. Syl. ver. Archiepiscopus, q. 1. casu 6. ad Archiepiscopum in Synodo residentem causam deferendam esse, uti colligitur ex c. 2. causa 9. q. 3. & c. sicus 25. de accusat.

Verum, si Synodus prouincialis non habeatur, (sicuti apud nos in Germania intra hominis memoriam Synodus prouincialis celebrata non fuit) & ponamus v.g. Episcopum à Clerico non exempto iniuriâ, aut damno iniusto affectum esse, nullumque in prouincia ab Vrbe remota esse Apostolicum Legatum seu Vicarium; quis erit iudex in hac causa? Episcopus esse non potest in causa pro-

fa propria: Ad arbitros autem consuetum non est confugere in causa criminali, c. causa, 9 de integro restit. & notat Gl. in c. irrefragabili, §. ceterum ver. super hoc delegatus, hoc tit. Profectò necessarium est dicere, quòd ad Archiepiscopum causa devoluatur, cum alioquin Ecclesiastico statui non satis provisum esset. Et ita docet hic Imola n. 10 addition. ad Io. Andr. in cit. c. irrefragabili. Confirmatur: Archiepiscopus secundum sacros canones, est ordinarius provincie Iudex: quòd autem eius iurisdictionis erga subditos Coepiscoporum suspensa, seu impedita sit quoad exercitium, id potissimum in gratiam Coepiscoporum introductum est. Quæ ratio si cesset, quia Episcopus cupit, imò res ipsa postalat, ut Archiepiscopus iudicium suum interponat, rectè dicitur, Archiepiscopum in tali casu iudicem esse posse, ita tamen, ut allata causa suspicionis probabili, recusari, atque ab eo ad Papam appellari possit.

2 NOTANDVM II. Secundum ius canonicum causa appellationis delegari potest. Secus autem est de iure civili, uti videre est in Auth. ad hæc. C. de Iudicijs, & notat hic Abb. n. 3.

3 NOTANDVM III. Superior causam delegare potest non tantum subdito suo, sed etiam non subdito. Sufficit enim causam esse de iurisdictione delegantis, licet is, cui delegatur, non sit de iurisdictione. Discrimen autem est, quòd subditum compellere potest ad suscipiendum, uti constat ex c. præced. Non subditus autem cogi non potest ad acceptandam causam, uti hic dicitur, & docet Gl. in l. vn. C. Qui pro sua iurisdictione. Gl. huius c. ver. nullam habeat.

S. Præterea.

PARAPHRASIS.

Iudex à Papa delegatus, reum citavit, & cum in comparando contumax esset, eum excommunicavit, atque actorem in possessionem misit causa rei servandæ: postea vero idem delegatus è viuis excessit.

Quæritur hoc casu, utrum Ordinarius loci reum satisfacere volentem absolvere possit, eique possessionem restituere, recepta cautione sufficiente. Respondet Innocentius III. Cum delegatus in causa illa maior sit Ordinario, ideo ab illo excommunicatum absolvere non potest; sed solus Papa, vel si delegatus successorem habeat in onere ac honore, neque item amissam possessionem per alium, quam Sum. Pontificem (aut per Legatum eius) recuperare poterit. Verum ne actor ultra annum retinens possessionem per præscriptionem tutus reddatur, veramque possessionem acquirere censeatur, id consilij datur, ut reus coram Ordinario loci, vel publicis personis cautionem afferat, quòd iuri pariturus sit. Sic enim veluti interruptetur præscriptio annalis, ut etiam post annum possessionem recuperare per Sedem Apostolicam mereatur.

4 NOTANDVM I. Excommunicatum ab homine nemo absolvere potest, præter excommunicationis auctorem, superiorem, aut successorem: excepto articulo mortis. De hac redixi supra, & lib. 1. tract. 5. p. 1. c. 7. num. 2.

Porrò per mortis articulum, in quo omnis casuum reservatio cessat, ita ut quilibet Sacerdos à quacunque excommunicatione, etiam Papæ reservata absolvere possit, non est intelligendus quasi ultimus vitæ spiritus, sed quodcunque periculum moriendi probabile, uti bene hic declarat Abb. n. 3. & dixi lib. 5. tr. 6. c. 12. n. 13. §. His adde.

NOTANDVM II. Si causa commissa sit Prælato, v. g. Episcopo, intuitu dignitatis, tum successor eius in dignitate succedit etiam in onere delegationis, uti dictum est in c. quoniam, 14. de offic. delegati. Vocatur autem onus delegationis, quia non gratiam continet, sed mandati obligationem imponit, uti dictum.

5 NOTANDVM III. Qui ob contumaciam Rei missus est à Iudice in possessionem, causa rei servandæ, spatio anni custodiam potius, quam veram ac stabilem possessionem

Vuuu 2 nem

nem habere censetur, eo autem finito, si reus, ante tempus illud, præstita cautione de iudicio sisti, & exhibita satisfactione pro damno ex absentia sui illato non repetiuerit, efficitur verus possessor, ita ut fructus ex re percipere, & eam vsucapere possit, aliâque possessionis commoda habere. Ita legitur etiam in c. quoniam, 5. §. in alijs, iun. Gl. ver. affectus. Ut lite non contestata &c. & c. 2. iun. Gl. ver. distrahunt, de sequestratione possels. & fructuum. Videri potest Durand. in spec. lib. 2. p. 1. tit. de primo decreto, §. iam de effectu, col. 3. & seqq.

NOTANDVM I V. Si quid coram Iudice suo agendum sit, v.g. cautio præstanda de iudicio sisti, illo absente aut mortuo, agi hoc ipsum potest coram Iudice alieno, aut alia publica & honesta persona, videl. tabellione, aut, si nec is adsit, coram duobus aut tribus testibus tabellionis vicem suppleentibus, ut colligitur ex l. 2. C. de annali except. & docet Imola hic n. 17.

NOTANDVM V. Non sufficit se offerre ad cautionem præstandam, nisi etiam præstetur. Præterquam si per aduersarium stet, quò minus cautio oblata recipiatur. Ita notat Gl. fin. hic, & constat ex c. 1. & 2. de eo qui mittitur in possessionem, &c.

CAPITVLVM XII,

Licet.

PARAPHRASIS.

Innocentius III. mandauerat Episcopo Parisiensi, ut instituta inquisitione de criminibus, si quos seu Religiosos, seu seculares Clericos deliquisse deprehenderit, eos secundum canonicas sanctiones remota appellatione puniat, & quæ ad morum reformationem pertinere videntur, constituat. Dubitatum verò fuit, num per hoc Metropolitanæ iurisdictioni derogauerit Pontifex, quò minus ad ipsum à sententia, aut ex gramine Episcopi appellari possit in casibus, quibus id alioquin permissum est. Respondet Pontifex, derogatum non

esse: cum Parisiensis Episcopus non propterea tanquam Sedis Apostolicæ delegatus, sed ut ordinarius Iudex procedat.

SUMMARIVM.

1. *A correctione legitima non potest fieri appellatio, nisi in eius modo excedatur.*
2. *Episcopus habet iurisdictionem ordinariam in inquirendis & puniendis criminibus, non tantum secularium clericorum, sed etiam Religiosorum non exemptorum, saltem si graua delicta sint.*
3. *Superior inferiori iudici ordinario mandans, quæ ad ordinarium eius officium spectant, non constituit eum delegatum, sed tantum excitare vult iurisdictionem ordinariam.*
4. *Quod si autem inferior nihilominus procedat ut delegatus, processus & acta non valent.*

PRO intellectu sciendum est, quòd à correctione legitima, seu quæ fit secundum canones, non possit fieri appellatio, nisi in corrigendo modus excedatur, sicuti habetur in c. seq. & in c. ad nostram, 3. c. reprehensibilis, 26. c. cum speciali, 61. §. Porro, de appellat. Nam talis correctio est veluti executio canonis: ab executore autem, nisi metas excedat, appellare non licet, l. ab executione, 5. C. Quorum appellationes non recipiuntur. Cum hac doctrina consentit Synodus Trident. sess. 22. c. 1. de reformat.

NOTANDVM I. Episcopus habet iurisdictionem ordinariam in inquirendis, & puniendis criminibus, non tantum secularium Clericorum, sed etiam Religiosorum non exemptorum, saltem si graua delicta sint, ut etiam dixi in c. quantò, 7. hoc tit.

NOTANDVM II. Si Superior inferiori Iudici ordinario ea mandet, quæ ad ordinarium eius officium spectant, non censetur eum facere delegatum; sed excitare tantum iurisdictionem, seu commonere & impellere ipsum ad officium præstandum. Ita notauit Gl. in c. in aliquibus, 4. de rescript. in 6. Innocent. hic n. 1. Imola n. 8. Sed limitari

tari debet primò: Nisi expresse addatur, vt Episcopus v. g. auctoritate Apostolica, vel vt delegatus Sedis Apostolicæ procedat, sicuti Gl. cit. monet. Secundò: Nisi ex adiunctis aliud colligatur; vt quia Papa formam procedendi præscribit, quæ ordinariæ iurisdictionis limites excedit; v. g. vt in causa in qua appellare licitum est, remota appellatione procedatur, sicuti Inn. notat, & Abb. n. 3.

In dubio autem potius existimandum est Principem voluisse excitare iurisdictionem ordinariam; adeò vt verba rescripti, si id fieri possit, secundum ius commune, & non vt specialem commissionem continentia intelligi debeant: præsertim si secundum alium intellectum verborum, alteri præiudicium fieret, vt etiam habetur infra c. pen. hoc tit. & notat Gl. magna hic in fine. Innoc. in hoc c. 4. Quærit hic Abbas: Si Papa per rescriptum noluerit causam delegare, sed iurisdictionem Episcopi ordinariam exercere; is autem per errorem procedat vt delegatus, num processus & acta valent. Negatiuè respondet, & rectè: Quia auctoritate ordinaria, qua procedere potuit, noluit: qua autem procedere voluit, auctoritate delegata, non potuit, cum ea commissa non sit. Ergo irrita sunt acta, argum. c. cum semper, 23. de offic. delegati. Vide eundem Abb. in c. cum ex officij, n. 29. de præscript.

CAPITVLVM XIII.

Irrefragabili.

PARAPHRASIS.

Prælati Ecclesiarum ad corrigenda crimina, & reformandos mores subditorum, maxime clericorum, prudenter ac diligenter attendere debêt; ne alioquin subditorum peccata ipsis imputentur. Atque vt correctionis, ac reformationis officium liberè exercere possint, decernit Innoc. III. in Concilio generali Lateranensi, quòd nec consuetudo, nec appellatio executionem ipsarum valeat impedire, præterquam si modum in corrigendo excedant. Quòd si in aliqua

Ecclesia consuetudo obtineat, vt Canonici à Capitulo puniantur, tum eo negligente, Episcopus moneat, iubeat, ac competentem terminum statuatur, intra quem correctio fieri debeat: alioquin ipsemet Episcopus, prout animarum eius cura requirit, corrigere per censuras Ecclesiasticas non intermittat.

SVMMARIVM.

1. Prælati Ecclesiarum ex officio tenentur subditorum, præsertim clericorum crimina corrigere.
2. Inferior Episcopo v. g. Capitulum Cathedrale aut Decanus vel Archidiaconus, contra Episcopum præscribere potest iurisdictionem in diœcesanos v. g. Canonicos, aliòsue clericos, etiam priuatiuè.
3. Neq; tamen vlla consuetudine Episcopo omne ius corrigendi, etiam in habitu, adimitur.
4. Si inferior negligens fuit in officio suo, & illud desinito tempore non faciat, ipse facit superior.
5. Canonici seu Capitulum Cathedrale non potest vig. ore vilius consuetudinis cessationem à diuinis imponere absque causa rationabili & manifesta.

NOTANDVM I. Prælati Ecclesiarum ex officio tenentur subditorum, præsertim Clericorum, crimina corrigere: alioquin peccata ipsis imputantur, tanquam indirectè voluntaria: cum ea, vt supponimus, possint impedire, & ratione officij sui, adeòque ex iustitia impedire obligati sint. Vide quæ dixi lib. 1. Th. mor. tr. 2. c. 3. n. 8.

NOTANDVM II. A correctione Prælati non appellatur, nisi is modum excedat. Qua de re dixi c. præc.

NOTANDVM III. Inferior Episcopo, v. g. Capitulum Cathedrale, aut Decanus, vel Archidiaconus, contra Episcopum præscribere potest iurisdictionem in diœcesanos, v. g. Canonicos aliòsue Clericos, etiam priuatiuè, seu excluso Episcopo, vt aperte colligitur ex textu, & docet Abb. hic n. 1. & in c. pastoralis, n. 7. hoc tit.

Vuuu 3

Limi-

Limita: Quod consuetudo non valeat, per quam Episcopo omne ius corrigendi, etiam in habitu adimitur; ita ut tamen Capitulum, Decanus, vel alius, ad quem de consuetudine pertinere debet, id negligat, Episcopus se immiscere non possit. Nam talis consuetudo esset Ecclesijs damnosa; imò contra institutionem officij Episcopalis, quod se ad totam diocesin, seu omnes diocesanos, qui specialiter exempti non sunt, extendit, argum. c. cum non liceat, 12. de præscript.

NOTANDVM IV. Si inferior in officio suo negligens sit, modus compellendi illum est, ut definiatur tempus, intra quod rem expedire teneatur; alioquin ipsemet Superior, quod iustum ac debitum est, statuat, & exequatur. Atque hac ratione in iurisdictionalibus Superior supplet negligentiam inferioris; v. g. Episcopus negligentiam Capituli, vel Decani Cathedralis: sed non vice versa. Tamen enim in beneficiorum collatione propter negligentiam Episcopi potestas ad Capitulum deuoluatur, c. 2. de concess. præbend. non ita tamen in exercenda iurisdictione. Quia maior vnio est inter Episcopum & Capitulum in beneficiorum collatione: At verò iurdictio, spectato communi iure, Episcopi propria est, licet consilium Capituli requiri debeat. Vide Abb. hien. 3.

§. Cæterùm.

PARAPHRASIS.

Si Canonici absq. causa rationabili & manifesta cessauerint à diuinis, præsertim si id agant in Episcopi contemptum, is nihilominus, si voluerit, in Ecclesia Cathedrali officia diuina celebrare potest. Et Metropolitanus, ad querelam Episcopi, tanquam Sedis Apostolicæ delegatus, per censuram Ecclesiasticam, cognita veritate Canonicos compescat.

NOTANDVM Vn. Etsi Canonici, seu Capitulum Cathedrale iurisdictionem in Ecclesiasticis alicubi per præscriptam cõ-

suetudinem exercent, non potest tamen cessationem à diuinis imponere absque causa rationabili, & manifesta: Alioquin Episcopus ad obseruationem non tenetur, & de eo conqueri potest apud Metropolitanum.

Sed quare dicitur, quod Metropolitanus tanquam delegatus Sedis Apostolicæ procedere debeat; cum ordinario, seu metropolitano iure, Episcopo conquerente, cognoscere possit, saltem si causa ipsius Episcopi agitur, ita ut ipsemet Iudex esse nequeat, iuxta ea quæ dixi suprâ in c. pastoralis. Respondeo cum Ioann. Andr. hic n. 29. Quia causa ardua est, ex cuius tractatione scandalum atque perplexitas oriri potest, merito visum fuit, eam à Metropolitanò auctoritate Apostolica, ideòque efficacius expediendum esse. Vide c. quamuis, 8. eod. tit. in 6.

CAPITVLVM XIV.

Quoniam.

PARAPHRASIS.

Si in aliqua ciuitate aut diocesi, populi diuersarum linguarum ac rituum degant, præcipit Concilium Lateranense sub Innocent. III. ut Episcopus loci idoneis Ministros ipsis constituat, qui secundum diuersitatem rituum, ac linguarum sacramenta ministrent, ac Verbum Dei prædicent. Id verò omnino prohibetur, ne in vna ciuitate aut diocesi duo sint Episcopi. Sed si ob dictas causas necessarium videatur, poterit Episcopus Suffraganeum Episcopum constituere, tanquam Vicarium suum, qui ipsi in omnibus obediatur, ac subiectus sit. Alia autem ratione si quis ad Episcopalia munera se ingesserit, ipso facto excommunicatus sit, & ab omni ministerio ecclesiastico dependendus; inuocato etiam, si opus sit, auxilio brachij secularis.

SVMMARYM.

1. Valde conueniens est, ut Romana Ecclesiæ ritus reliquæ ecclesiæ sequantur.

3. In

2. *In vna diœcesi non possunt esse duo Episcopi principales: seu potestate æquales; potest tamen Episcopus constituere sibi Suffraganeum.*
3. *Ordinarius, si urgeat necessitas, potest brachium seculare inuocare ad iustitia defensionem aut executionem.*

NOTANDVM I. Fieri potest, vt in eadem ciuitate diuersi ritus obseruentur in Sacramentorum administratione. Ex quo colligit Abb. hic n. 2. & c. pastoralis, n. 9. hoc tit. non esse necessarium, vt Clerici omnes in diuinis officijs, & sacramentorum administratione conformet se Ecclesiæ metropolitanæ: cum possint etiam proprium ritum retinere, argum. c. de trina, 80. d. 4. de consecr. Id verò valdè conueniens est, vt Romanæ Ecclesiæ ritus reliquæ ecclesiæ sequantur, vti dixi lib. 5. Th. mor. tr. 2. c. 8. n. 4. & 5.

NOTANDVM II. In vna diœcesi non possunt esse duo Episcopi principales, seu potestate æquales. Rationem attuli in c. Michael, 13. de filijs Presbyt. Potest tamen Episcopus constituere Suffraganeum: Id verò indubitatum, ac valdè frequens est circa ea, quæ ad Ordinis potestatem spectant. Sed hic sermo etiam est de potestate iurisdictionis, quia dicitur, quòd Episcopus, propter necessitatem, Catholicum Præsulem, tanquàm Vicarium sibi subiectum, constituere possit. Atque talis Vicarius Episcopus, secundum Gl. communiter receptam, ver. Vicarium, habebit iurisdictionem ex canone ordinariâ, ac perpetuam, Episcopo subordinatam, sicuti de Archidiacono supra dictum est. In quo plurimum differt à generali Vicario, de quo dictum est tit. de officio Vicarij, in 6. Porro ad Sedem Apostolicam pertinebit examinare, num ob aliam similem necessitatis causam opus sit Episcopo perpetuam Vicarium ac Coepiscopum in iurisdictione exercenda subordinatum adiungere. Cum id à iure communi exorbitans, & non nisi dispensatiuè permitti possit, vti Gl. notat ver. necessitas, ibid. Innocentius.

NOTANDVM III. Ordinarius, si ne-

cessarium sit ad iustitiæ defensionem, aut executionem, brachium seculare in subsidiū inuocare potest. Quæ de re dixi in c. 1. de offic. delegati.

CAPITVLVM XV.

Inter cætera.

PARAPHRASIS.

Sicut corpus cibo materiali indiget, vt conseruetur, & augeatur, ita omnino necessarius est cibus spiritalis, quod est verbum Dei. Quare cum sepe accidat, vt Episcopi, quibus id ex proprio officio incumbit, populis, præsertim per diœceses amplas, ob multas eorum occupationes, & alia impedimenta, verbum DEI per seipos ministrare non possint; decreuit Concil. Lateranense sub Innoc. III. vt Episcopi per diœceses, viros idoneos, potentes in opere ac sermone, ad prædicationis officium assument; ijsq; ad victum necessaria prouideant.

§. Vnde.

In Cathedralibus, & Collegiatis Ecclesijs viri idonei cõstitui debent, tanquam Coadiutores Episcoporum, tum in officio prædicationis, tum in audiendis confessionibus, & pœnitentijs iniungendis, ac cæteris, quæ ad salutem pertinent animarum.

SUMMARIVM.

1. *Episcopus est ordinarius pastor totius diœcesis, cui proinde ex officio incumbit populum verbo Dei pascere, & Sacramenta eidem ministrare.*
2. *Concurrunt cumulatiuè in administratione Sacramentorum cum omnibus Curatis ecclesiarum non exemptarum.*
3. *Ad eundem de communi iure spectat ius Cathedra, contra quod nulla consuetudine ita præscribi potest, vt omnis eius cura circa munus prædicandi auferatur.*

NOTAN-

Conquerente.

PARAPHRASIS.

Ecclesiæ parochiales Monasterio S. Benedicti montis Subassij incorporatæ erant: Episcopus Assinatensis præter alia iura Episcopalia, etiam procuraciones ratione visitationis exigebat. Sed œconomus Monasterij, asserens Capellas, seu Parochias ad has exactiones nõ sufficere, petebat specificari, quænam ratione iuris Episcopalis deberentur: quibusdam verò specificatis, lis inter partes mota, & legitime contestata fuit. At verò Honorius III. inspectis probationibus, quæ ab utraque parte allatæ sunt, decreuit, vt Episcopus in Capellis seu parochijs illis habeat ius tum legis iurisdictionalis, tum etiam diœcesanæ; ita tamen, vt habitæ ratione facultatum, moderata à dictis capellis exactio fiat.

SUMMARIUM.

1. Monasteria quantumvis exempta, ratione tamen parochiarum secularium, quæ ipsis incorporatæ sunt, obligantur lege iurisdictionali, & diœcesana.
2. In quibus consistat lex iurisdictionalis.
3. In quibus lex diœcesana.
4. Procuraciones tempore visitationis ab ecclesijs moderate accipiendæ, neque ultra vires grauandæ.

NOTANDVM I. Licet Monasteria, quæ alioquin iurisdictioni Episcoporum subijciuntur, exempta sint à lege diœcesana, quod attinet ad cathedraicum, subsidium, charitatiuum, & quartam decimarum, tamen hæc exemptio non extenditur ad capellas, seu parochias seculares ipsis incorporatas: Nam ratione harum parochiarum, nisi & ipse ab Episcopo exemptæ sint, Monasteria omnia, quomodoque secundum se exempta sint, obligantur tum lege iurisdictionali, tum diœcesali. Hac de re dixi in qq. disput. de elect. q. 209 & 227. & videri potest.

NOTANDVM I. Episcopus est ordinarius pastor totius diœcesis, cui proinde ex officio incumbit populum verbo Dei pascere, & Sacramenta eidem ministrare. Quia verò per se ipsum solus omnia efficere non potest, ideo curam sollicitam gerere debet, vt viri idonei per parochias, aliâsque Ecclesias ordinentur ad talia populo ministranda.

2. Corollarium I. Episcopus cum omnibus Parochijs, aliisq; Curatis Ecclesiarum non exemptarum concurrat cumulatim, ita vt ipse, vel Vicarius eius, à peccatis absolueret, & Sacramenta fidelibus ministrare possit. iuxta c. 2. de offic. Archipresbyt.

3. Corollarium II. Spectato communi iure, ad Episcopum pertinet ius Cathedræ seu munus prædicandi ad plebes, personis idoneis committendi. Quòd si hoc ius alij inferiores per consuetudinem præscriperunt, non propterea omnis cura & sollicitudo Episcopo ablata est: sed nihilominus attendere debet, & si inferiores in ea re negligentes repererit, tempus constituere, intra quod Ecclesijs bene provideatur, sin minus, ipse providere poterit, vt hic Ioann. Andr. annotauit n. 9. & sumitur ex c. irrefragabili, hoc tit.

Rectè interim aduertit Abb. hic n. 1. Quòd etiam Parochi, aliisq; Curati cumulatim (ide est, Episcopo non excludo) officium prædicandi in Ecclesia habent. quòd proinde ipsis ab Episcopo auferri non debet, si ad hoc munus idonei sint, & rectè prætare possint. Quia Verù Dei prædicare (sicuti & confessiones audire, aliâque Sacramenta ministrare) pertinet ad Curam animarum, iuxta Clem. Dudum, §. verùm, de sepult. Religiosis autem, sicuti & alijs quibusdam, cõpetit hoc ex priuilegio Papæ, aliorumque Ordinariorum concessione, cit. Clem. dudum, & c. excommunicamus, 13. §. Quia verò nonnulli, de sent. excommun. & videri potest Sebast. Sapia addit. ad Abbat. hic, Barbosa de potest. Episc. p. 3. allegat. 76.

Concil. Trident. sess. 5. c. 2. de reformat. & sess. 24. c. 4. de reform.

potest Gl. finalis in c. dilectus, 18. hoc tit. Hostiensis in sum. huius tit. §. sunt autem quedam.

NOTANDVM II. Lex iurisdictionalis, ad quam Ecclesie omnes, etiam Monasteria, quae exempta non sunt, obligantur, in his consistit: I. In praestanda obedientia, ac subiectione, seu in parendo mandatis Episcopi. II. Institutio, & destitutio in beneficijs, spectato communi iure, ad Episcopum spectat, c. cum ex iniuncto, 12. in fine, de haeret. III. Correctio, visitatio, morum reformatio, censura Ecclesiastica, iurisdictionis causarum ad forum externum Ecclesiasticum spectantium. IV. Publicae poenitentiae impositio, c. accedentibus, 12. de excessu Praelatorum; Sacramentorum receptio, absolutio, item indulgentia, dispensatio.

NOTANDVM III. Lex dioecessana, cui Monasteria omnia ratione capellarum sibi incorporatarum, si ex exempta non sint, subiiciuntur, in his consistit: I. Exactio annua cathedralici, videlicet duorum solidorum, c. inter caetera, 8. causa 10. q. 3. II. Subsidij charitativi petitio secundum facultates Ecclesiae, alteriusve beneficii, vt hic, & in c. cum Apostolus, 6. §. Prohibemus, de censibus, & dixi de hoc lib. 3. p. 1. c. 3. §. vn. III. Quarta portio decimarum Episcopis praestanda, spectato communi iure, c. de quarta, 4. de praescript. Haec tamen praestatio pluribus locis per desuetudinem abolita est, vt dixi lib. 4. Theol. moral. tr. 6. c. 4. n. 6. IV. Portio canonica ex legatis, & funeralibus oblationibus, vbi ea in vsu est: Imò ad hanc Monasteria, etiam exempta, obligantur. Qua de re videri potest Trident. sess. 25. c. 13. de reformat. & quae dixi lib. 3. Th. mor. tr. 5. c. vii. n. 13. V. Procuraciones, seu victualia praestari solita, dum Episcopus, vel alius eius iussu visitat. Ad eiusmodi procuraciones etiam Monasteria, quae Episcopo subiecta sunt, obligantur, c. sopitae, 14. de censibus: quandoquidem procuratio annexa est visitationi, c. cum venerabilis, 21. eod. tit. Quamobrem aliqui procuraciones has ad legem iurisdictionalem reuocant. VI. Ad Synodum conuocatio, eam

enim ad legem dioecessana spectare, dicitur in c. quod super, 9. de maior & obed. Verum neque à Synodo Abbates Monasteriorum hodierno iure liberantur, vt ibi dicam. De lege dioecessana, & iurisdictionali vide plura apud Canonistas in c. dilectus, hoc tit. vbi Abb. n. 4. Imola. n. 6.

NOTANDVM IV. Procuraciones tempore visitationis ab Ecclesijs accipiendae sunt, habita ratione facultatum, & ita moderatè, vt nequaquam grauentur. Qua de re Concil. Trident. sess. 24. c. 3. de reformat. Paulus Piascius in praxi Episc. p. 2. c. 3. n. 14. Paulus Salodius de visitat. p. 2. c. 1. §. Nec videtur, Ioann. Franciscus Paunus de visitationibus, p. 1. q. 6. n. 8. & 9. vbi moment, si Ecclesiae omnino pauperes sint, quòd Episcopus proprijs sumptibus eas visitare teneatur. Quod vt communiter receptum tradit etiam Zerola in praxi ver. visitatio, p. 1. dub. 7. Barbosa de potest. Episc. p. 3. alleg. 73. n. 51. 52. Syl. ver. visitatio q. 5.

CAPITVLVM XVII.

Vt iuxta.

PARAPHRASIS.

Ne dissolutionis materia praebatur, Archiepiscopus (vel Episcopus) cum Monasteria sibi subiecta visitat, non debet seculares secum ducere ad Capitulum, in quo visitatio peragitur; praeter duos aut tres Canonicos, adiunctis etiam personis Religiosis, quatenus id expedire videbitur.

SUMMARIVM.

1. Ad visitationem Religiosorum pauci adhibendi, iique idonei, praesertim Canonici, si Episcopus ipse visitet.
2. Decens est, vt non solum seculares adhibeantur, sed vnus, aut plures Religiosi.

NOTANDVM I. Ad visitationem Religiosorum oportet adhibere paucos viros idoneos, qui Ecclesiastici esse debent, praesertim Canonici Ecclesiae Cathedralis. Id verò intelligendum est, si Episcopus per se ipsum visitet: decens enim est, vt duos canonicos,

Xxxx

nonicos,

nonicos, tanquam consiliarios & laterales suos secum ducat, argum. c. ad audientiam, 15. de cleric. non relident. Sin autem alij, quàm Canonici, ad visitandum magis idonei sint, eos adhiberi posse, ex Hostiensi docent Ioann. Andr. hic n. 7. Imola n. 2.

2 NOTANDVM II. Decens est, vt ad visitationem Religiosorum non solum seculares Clerici adhibeantur, sed vnus, aut plures Religiosi: quippe cum hi maiorem regularis disciplinae cognitionem atque experientiam habentes magis idonei censentur, vti Gl. hic monet, ver. adiunctis, argum. c. in singulis, 8. de statu Monachorum, & consentit Extravagans, Bonifac. VIII. quae incipit: *Debent hoc tit. iun. Gl. ver. Religiosa.*

CAPITVLVM XVIII.

Dilectus.

PARAPHRASIS.

Cum Abbas Monasterij Rothomagensis cōtenderet, tertiam partem multarum pecuniarum, quas Parochiani in quinque parochijs soluere cogentur, ex consuetudine antiqua ad ipsum Monasterium spectare; Innocentius III. quibusdam mandauit, vt auditis ijs, quae tum ex parte Abbatis, tum ex parte Episcopi Venetensis proponerentur, causam instructam ad ipsum remitterent. Sed Episcopus processum iudicij impedire volebat, ex allegatione sententiae, quae pro ipso contra Monasterium lata esset, quod circa legem dioecesanam in Ecclesijs quibusdam nullum eidem Monasterio ius competeret. Quamobrem conquestus est Abbas Honorio III. qui Innocentio successerat; eum hic non agatur de lege dioecesana, sed de lege iurisdictionali, videl. de citatione, causarum examinatione, definitione ac prouisione, quam ad se quadatenus pertinere Abbas contendebat, ideo ne patiatur, praetextu sententiae illius, causae processum vltius impedire. Hoc intellecto, Honorius mandat dictis Iudicibus, vt non

obstante illa sententia, in negotio ipsius commisso procedant.

SUMMARIUM.

1. *Iudex ecclesiasticus potest imponere multas non tantum subiectis sibi clericis, sed etiam laicis, in causis ad forum ecclesiasticum spectantibus.*
2. *Consuetudo antiqua, praesertim immemorialis, sufficit ad obtinendum & retinendum ius v. g. iurisdictionis in praedictum Episcopi, licet titulus allegari nequeat.*
3. *Exceptio rei iudicata opponi potest ad impediendum actionis processum.*

NOTANDVM I. Iudex Ecclesiasticus (qualis erat hic Abbas ratione Monasterij sui) potest imponere multas pecuniarum non tantum subiectis sibi clericis, sed etiam laicis; intellige in causis ad forum ecclesiasticum spectantibus. Ita sumitur ex c. statumus, 55. causa 16. q. 1. & tradit sibi Gl. ver. bannum, Ioann. Andr. hic n. 7. Abb. not. 1. Imola n. 1. & 10. Felinus in c. irrefragabili, §. Caeterum, n. 6. hoc tit. Hostiensium. huius tit. n. 4. Zerola in praxi, p. 1. ver. compositio, n. 2. Couar. lib. 2. ver. resol. c. 9. ver. quartum, Barbosa p. 3. allegat. 107. n. 18. Qui etiam addunt, quod Ordinarius, videl. Episcopus, vel similis Praelatus poenam suae Camerae seu fisco applicare possit, argum. huius c. Quamuis melius agat, si ad alium primum usum applicet. Sed vide, quae ex Concil. Trident. sess. 25. c. 3. de reformat. dicam infra.

NOTANDVM II. Consuetudo antiqua, praesertim si immemorialis sit, sufficit ad obtinendum, ac retinendum ius v. g. iurisdictionis in praedictum Episcopi, tamen si titulus allegari non possit. Ita Imola hic n. 3. Abb. n. 3. & dixi de hoc in c. quod translationem, 4. de offic. Legati.

NOTANDVM III. Exceptio rei iudicatae, tanquam litis finitae, opponi potest ad impediendum actionis processum. Ita Imola hic n. 4. Sed requiritur, vt sit causa eadem

non

non diuersa, sicuti constat ex hoc c. & tradit Gl. in c. penult. ver. sine dolo, ad finem, de except.

CAPITVLVM XIX.

Graue.

PARAPHRASIS.

Gregorius X. Pontifex scripserat Episcopo Suanensi, vt clericorum diœcesis sue correctioni intenderet. Occasione eius mandati idem Episcopus in Ecclesias quasdam intra diœcesin suam existentes, atq; ad Monasterium quoddam pertinentes interdixit sententiam, atque in clericos earundem suspensionem promulgauit; tamen nullam ordinariam seu delegatam iurisdictionem haberet, & Abbas Monasterij per se ipsum paratus esset corrigere. Quamobrem præcipit Pontifex Episcopo, si ita se res habeant, vt per se ipsum corrigens, quæ imprudenter attentauit, dictas sententias seu censuras relaxet.

SUMMARIVM.

1. Si Papa mandat Episcopo, vt corrigat Clericos suos, nõ facit eum delegatum, sed excitare vult officium eius ordinarium.
2. Si eidem mandat, vt beneficium proximè vacaturum in diœcesi, Apostolica auctoritate conferat Titio, extendi debet hoc mandatum etiam ad beneficia diœcesis exempta.

DVobis modis casus huius c. intelligi potest. Primus est Gl. fermè communiter receptæ, quod Ecclesiæ istæ vnâ cum Clero, aut etiam populo fuerint exemptæ ab Episcopo. Et huic intellectui fauet, quod dicitur, Episcopum nullam iurisdictionem habuisse. Sed obstat argumentum à sensu contrario: Æstimatur enim in textu, quod Episcopus iurisdictionem in Ecclesias, & Clericos exercuerit, tamen Abbas per se ipsum corrigere paratus fuerit: quasi negli-

gente Abbate, seu in defectum Abbatis, corrigendi potestas ad Episcopum deuoluta esset. Id verò dici non potest, si Abbas ab Episcopo exemptus fuit, ideòque iurisdictionem quasi Episcopalem habuit, vt Gl. hic notauit argum. c. 2. de suppl. negl. Prælator.

Alter intelligendi modus, qui mihi magis placet, est Abbas, hic n. 7. Quod Abbas per consuetudinem, aut priuilegium speciale in Ecclesias quasdam diœcesis, & Clericos aut etiam parochianos earum iurisdictione acquisierit, excluso Episcopo; ita vt se eis immiscere non possit, nisi in defectum seu propter negligentiam Abbatis, vt dixi in c. irrefragabili, 13. hoc tit. Neq; obstat, quod dicitur hic, Episcopum nullam iurisdictionem habuisse; id enim verum est secundum exercitium, & effectum, dum Abbas per se corrigere paratus esset. Quamobrem sententiæ eiusdem Episcopi ipso iure irritæ erant, iuxta ea quæ dixi in c. cum ab Ecclesiarum, 3. hoc tit. Verbum autem istud *relaxes*, licet secundum propriam significationem supponat actum validum esse; tamen ex subiecta materia sæpe apparet, sermonem esse de relaxatione facti, quæ aliud nõ est, quam reuocatio sententiæ, vt notat hic Gl. ver. *relaxes*, Imola in fine huius c. Abb. n. 10. & in simili tradit Gl. in c. 2. ver. *castuimus*, Vt lite non contestata & c.

NOTANDVM Vn. Si Pontifex mandet Episcopo, vt corrigat Clericos suæ diœcesis, non censetur eum facere delegatum, sed excitare officium eius ordinarium, iuxta ea quæ dicta sunt in c. licet, 12. not. 2. hoc tit.

Quærunt hic DD. Si Papa mandet Episcopo, vt beneficium, quod proximè vacaturum est in diœcesi, Apostolica auctoritate conferat Titio, an istud mandatum extendi etiam debeat ad beneficia diœcesis, quæ ab Episcopo exempta sunt. Probabiliter affirmatur cum Ioann. Andrea in c. Abbatem, 40. n. 6. de rescript. Gl. in Clem. vn. §. Præterea, ver. primi anni, de excess. Prælatorum, Abbate hic n. 5. Quia ex commissione apparet, quod Papa non excitet ordinarium of-

ficiam Episcopi, sed quod faciat illum delegatum suum: quamobrem sicuti alius quilibet vi talis mandati Apostolici quodlibet beneficium in diocesi situm conferre potest, ita & Ordinarius seu Episcopus: cum officium ordinarium conferendi per accidens se habeat. Sed alius & diuersus casus est, de quo dixi in c. si propter, 10. de re script. in. 6.

CAPITVLVM VI.

His, quibus.

PARAPHRASIS.

Ii, quibus ex officio competit in certis casibus à canonis excommunicatione, propter Clerici percussione[m] absoluer[e], possunt hanc absoluendi facultatem, si quando expedire iudicant, alteri committere.

SUMMARIUM.

1. Cui competit iure communi, aut privilegio speciali aliqua potestas, v. g. absoluendi à peccatis, censuris, dispensandi &c. ratione officij sui transmissibilis ad successores, vel quasi successores, is eam potestatem alijs delegare potest.
2. Et quidem non tantum particulatim, sed generaliter.
3. Nec tantum ministerium absolutio[n]is alteri committere potest, sed etiam causam cognitionem &c. nisi specialiter industria & discretio persona electa fuisset.
4. Delegatus, vel etiam subdelegatus nudum ministerium absolendi sine causa cognitione committere alteri potest, dummodo i se iurisdictione aliqua praevidetur, & non nudum ministerium ei commissum sit ad absoluendum, dispensandum, &c.

PRO intellectu huius c. aduerte primò: Sermonem hic esse de ijs, quibus ex officio, siue iure proprio & ordinario competit absolutio à censura canonis. Videl. Legatis Sedis Apostolicæ: Item quibusdam Prælati[s], quibus per speciale privilegium ta-

lis absoluendi potestas ratione Sedis, ac dignitatis suæ, ideòque in perpetuum competit: Etenim talis perpetua commissio in ordinariam transit, sicut docet Baldus in l. 1. q. 9. de offic. Consulis, Felinus in c. licet, n. 4. hoc tit. Sanch. lib. 2. de matrim. disp. 40. n. 14. Item in casibus iure concessis, & quotiescunque Papa pro petenda absolute[n]te, adiri nequit, potestas absoluendi ad Episcopum, tanquam proprium Ordinarium deuoluitur, vti hic notat Gl. recepta, ver. casibus. Quin & Prælati[s] regularibus à canonis excommunicatione propter Clerici aut Monachi percussione[m] incur[s]a, absoluendi potestas in certis casibus, tanquam ordinaria competit; cum dignitati eorum annexa sit, c. eum illorum, de sentent. excommun.

Aduerte secundò: Quod hic dicitur de absolute[n]te à canonis censura, id exempli causa dictum est, generaliter autem intelligi debet de quacunque potestate absoluendi à peccatis, aut censuris, item dispensandi in votis aut iuramentis; aut in matrimonij impedimentis propter difficultatem aduendi Papam. Ita indicat Ioann. Andreas hic n. 3, Felinus in princip. Ratio est: Quia si alicui iure communi, aut privilegio speciali competat aliqua potestas ratione officij sui, transmissibilis ad successores, aut quasi successores (quod dico propter Legatos Apostolicos, & Vicarios Episcoporum) tunc non potest cense[n]te electa in dicitur personæ; Ergo nihil obstat, quò minus alteri delegetur, vti ratiocinatur Iason in l. more, n. 65. ff. de iurisdic. omni. iudicium, Sanch. cit. disputat. 40. n. 17. Nauar. lib. 5. consil. 11. n. 4. de privileg. edit. 2.

His adde I. Quòd dicitur potestates absoluendi non tantum particulatim committi queant, sed etiam generaliter, propter regulam communiter receptam: Ea quæ iure ordinario alicui competunt, absolute[n]te, & generatim delegari posse, vti docent Nauar. lib. 5. consil. 15. de sentent. excomm. edit. 1. Sanchez cit. loco.

Adde II. Ex eodem Nauar. in cit. consil. 11. n. 4. Non tantum nudum ministerium absolute[n]te committi posse, sed etiam causa

causae cognitionem, ac poenitentiae impositionem, &c.

Excipe: Nisi ex commissione, seu privilegij concessione appareat, eam specialiter factam esse Praelato, eo quod propter officij auctoritatem & discretionem ad hoc munus absolutionis magis idoneus reputatus sit, ut in casu c. 2. & c. cum illorum, de sent. excomm. ubi absolutio Monachi a censura canonis Abbati, propter discretionem & prouidentiam (quae in tali persona inesse praesumitur) specialiter committitur.

Veruntamen id generatim dici potest, quod quicumque delegatus, aut etiam subdelegatus, tamen iurisdictionem alteri committere nequeat, tamen nudum ministerium absoluendi sine causae cognitione conseruare possit, sicuti ex Nauar. c. 27. man. n. 45. annotauit in c. super questionum, 27. §. porro, limit. 4. Dummodò iurisdictione aliqua praeditus sit, & non nudum ministerium ipsi commissum ad absoluendum, dispensandum, &c. Id enim plerumque personaliter exequi, & non alteri delegare debet, ut constat ex c. ult. §. ceterum, de offic. delegati, & notat Gl. fin. hic, Innoc. & Ioan. Andr. n. 3. Imola n. 2.

CAPITVLVM I.

cod. Tit. in 6.

Romana.

PARAPHRASIS.

Archiepiscopo concessum non est in Coepiscoporum diocesisbus constituere Vicarios, Officiales foraneos, ad quos causae appellationum deferri debeant. Quia cum ipsimet Archiepiscopo secundum Canones (extra casus speciales in iure concessos) non liceat dioeceses Suffraganeorum ingredi, & in ijs iudicare, aut quaelibet ordinare, sequitur, quod neque alium loco suo constituere possit. Verum quidem est, quod Archiepiscopus causam ad se via appellationis deuolutam, alicui in dioecesi sui Suffraganei delegare possit, quia ex

eo tempore iurisdictionem acquisiuit in appellatam, & appellatum, quae proinde delegabilis est. Sed antequam ad eum appellatum sit, nullam iurisdictionem habet in subditos Suffraganeorum: ergo non potest aliquos constituere, qui in futuris appellationum causis citationes partium faciant, aut inhibitiones erga Iudicem a quo, ne in causa procedat. Ceterum si legitime praescripta consuetudo vigeat, ut Archiepiscopus in diocesisbus Coepiscoporum Vicarios habeat, ea subsistere potest: ita tamen, ut inhibitiones, ne in causis procedatur, non faciant, priusquam ad Curiam Archiepiscopalem appellatum sit.

S V M M A R I V M.

1. *Archiepiscopus in diocesisbus Suffraganeorum iurisdictionem nullam exercet, unde non potest in ijs Officiales seu iudices constituere super causis in futurum emergentibus, nisi immemoriali & bona consuetudine id praescriptum esset.*
2. *Delegatus ab Archiepiscopo censuram in Coepiscopum ferre potest.*
3. *Officialis eius nec valide nec licite id potest, nisi specialiter ei, vel Vicario causam aliquam Archiepiscopus delegerit.*

NOTANDVM I. Archiepiscopus in diocesisbus Suffraganeorum iurisdictionem nullam exercet: cum non sit Iudex ordinarius dioecesanorum, nisi in habitu, seu respectu quorundam emergentium euentuum, v. g. si ad ipsum appelletur, ut dixi in c. pastoralis, 11. extra, hoc tit. Consequenter non potest Archiepiscopus in diocesisbus Coepiscoporum Officiales, aut Iudices creare super causis in futurum emergentibus: quia haec institutio Officialium ad eos proprie pertinet, qui actualem in loco iurisdictionem obtinent, & exercent.

Idque aduertere deberent locorum defensores, praesides, & patroni, quibus iurisdicatio nulla competit, nisi in certis casibus, quod loco sui constituere non possint Officiales, seu Vicedominos, quippe per quos perturbatio

nes & grauamina maiora inferri solent, iuxta Authent. de defensor. ciuitatum, §. nulla existente licentia, col. 3. & ex doctrina Hostiensis notat hic Dominicus, col. 1.

Permittitur tamen consuetudo, si immemorialis & bona præscripta sit, vt tales Officiales in diocesis Coëpiscoporum constituantur; ita tamen vt se diocesanorum causis non immisceant, priusquam ad Archiepiscopum appellatum sit: nam alioquin iurisdictiones diocesium confunderentur, quod sacris Canonibus, & Ecclesiasticæ hierarchiæ institutioni aduersatur.

§. Officiales.

PARAPHRASIS.

Generalis Vicarius seu Officialis Archiepiscopi, dum ipsemet Archiepiscopus in prouincia est, aut non longè distans, in neminem Suffraganeorum seu Coëpiscoporum, interdicti, suspensionis, aut excommunicationis sententiam proferre potest, idque propter reuerentiam officij ac dignitatis Episcopalis.

QUÆRITVR primò: An idem sentientium sit de delegatis ab Archiepiscopo, quòd censuram in Coëpiscopo ferre non possint? Ita affirmat Gl. sin hic, Petr. Ancharan. in fine c. & alij. Sed contrarium magis placet; Quia de delegatis id cautum non est: ergo stamus regula communi, quòd delegatus in causa sibi commissa erga subditum delegantis (qualis est Episcopus comparatione Metropolitanus sui) maiorem illo potestatem habeat, atque si necessitas postulare videatur, etiam per censuram eum compellere possit, arg. c. sanè, 11. de offic. delegati. Accedit, quòd diuersa sit ratio in delegatis & Officialibus: Nam hi idem habent consistorium cum Archiepiscopo, at verò ab illis, si seuerius procedant, appellari potest ad Archiepiscopum, vti Ioan. Andr. annotauit in fine huius c.

QUÆRITVR secundò: Vtrum sententia seu censura valida sit, licet iniusta, si in Episcopum feratur à Vicario seu Officiali Ar-

chiepiscopi. Esse validam, affirmat Gl. hic ver. non attènt, quam sequitur Ioan. Andr. n. 4. Petr. Ancharan. ver. Quæro, si contra prohibitionem. Sed contrarium rectius, vt arbitror, docent Archidiaconus, & Ioan. Monachus hic n. 11. Moueor hac ratione: Quia Officiales Episcoporum & Archiepiscoporum nihil validè prætare possunt, nisi quod ipsis communi iure, vel speciali voluntate constituentis concessum est, vti ex communi dixi in c. 2. de offic. Vicarij, in 6. Cum itaque ius commune Officiali neget potestatem ferendi censuras in Coëpiscopos, consequenter neque Archiepiscopus talem potestatem vicariatiui eius contra Canonum statuta annectere possit, sequitur, quòd Officialis in Coëpiscopum nec licitè, nec validè censuras ferre queat.

Cæterum, si Archiepiscopus causam aliquam specialiter deleget Vicario, tum valde probabile est, valituram sententiam censuræ, quamuis tali potestate vti non debeat, nisi necessitas postulet, idque propter reuerentiam Episcopalis officij, arg. huius textus.

QUÆRITVR tertio: Quæ hic dicuntur de Coëpiscopo, vtrum etiam locum habeant in electo & in confirmato, licet nondum consecrato.

Affirmandum est cum Ioan. Monacho hic n. 13. Petr. Ancharano q. penult. contra Dominicum, ver. Quæro, quia prohibentur. Nam Episcopus confirmatus gerit officium Pontificale, quoad iurisdictionalia, e. transmissam, 15. de elect. atque in culmine honoris constitutus est, vt reuerentia præ alijs ipsi debeat, arg. c. 2. de transl. Episcopi, & c. accedentibus, 12. de excess. Prælatorum.

CAPITVLVM II.

Si Canonici.

PARAPHRASIS.

Si Canonici cessationem à diuinis ponere velint in Ecclesijs, in quibus id ipsis ob consuetudinem, vel aliàs (videl. per concessionem, seu priuilegium) concessum est,

est, cessationis causam publico, & authentico instrumento exprimere, & ei, contra quem cessare volunt, exhibere tenentur. Alioquin si id omiserint, aut causa cessandi non fuerit inuenta canonica fructus ex ea Ecclesia prouenientes pro tempore, quo à diuinis cessatum est, percipere non possunt, atque perceptos restituere debent, eidem Ecclesie applicandos: atque insuper ei, contra quem cessatio instituta fuit, de illato damno, & iniuria satisfacere coguntur. Sin autem causa cessandi canonica reperta fuerit, tum is, cuius culpa cessatio instituta est, obligatur Canonice ad præstandum interesse, & Ecclesie ad multam Superioris arbitrio taxandam

SUMMARIUM.

1. Beneficiatus culpabiliter negligens officium in Ecclesia præstare, fructus percipere non potest.
2. Iniuste læsus duplicem civilem actionem instituere potest, unam merè civilem, ad compensationem damni, alteram ad pœnam seu multam applicandam auctori.
3. Dans causam culpâ vel dolo cessationi à diuinis, obligatur ministris, ipsiq; ecclesie ad compensationem damni, aut lucri cessantis, deinde compelli potest ad pœnam pecuniariam ecclesie dandam in satisfactionem.

DE cessatione à diuinis, quid sit, à quo, & ob quam causam ferri possit, dixi in lib. 1. Th. mor. tr. 8. p. 4. c. vlt.

NOTANDUM I. Si beneficiatus culpabiliter negligat officium in Ecclesia præstare, fructus inde prouenientes percipere non potest. Nam beneficium datur propter officium, c. vlt. de rescript. in 6. Ergo si officium non præstetur, beneficij fructus denegari, aut repeti possunt, tanquam dati ob causam, causa non secuta, tit. ff. de conditione causa data, causa non secuta.

NOTANDUM II. Iniuste læsus duplicem actionem civilem simul instituere potest: Vna est merè civilis ad compensatio-

nem damni illati, quæ actio etiam ad heredes & contra heredes transit. Alia est actio, quæ dicitur civilis iniuriarum, ad pœnam seu multam applicandam auctori, vt pro illata iniuria ipsi satisfiat. Et hæc actio pœnalis est, ideòque hæredi non conceditur, nec contra hæredem iniuriantis, si lis cum eo contestata non fuerat, l. iniuriarum, 13. ff. de iniurijs. & dixi lib. 3. tr. 3. p. 2. c. 6. n. 6. Videri hic potest Gl. ver. damnis, Petr. de Ancharano not. 6. & 7.

NOTANDUM III. Si quis culpâ, vel dolo causam præbuit, cur in Ecclesia diuina officia non celebrarentur, in primis obligatur ministris, ipsiq; Ecclesie ad interesse, seu compensationem damni, aut lucri cessantis, si videl. oblationibus, & elemosynis interim priuati fuerunt, vt Ancharanus notat col. 2. Deinde qui iniuriam Ecclesie, aut ecclesiasticæ immunitati intulit, ab Ecclesiastico Iudice compelli potest ad pœnam pecuniariam exhibendam Ecclesie, in satisfactionem.

CAPITVLVM III.

Ordinarij.

PARAPHRASIS.

Qui plures dignitates seu personatus, vel beneficia curata, vel vnâ cum dignitate beneficium curatum obtinent, ab Ordinarijs suis compelli debent, vt intra tempus iuxta facti qualitatem ipsis definitum, dispensationem Pontificiam exhibeant, cuius vigore plura, alioquin incompatibilia beneficia, possidere queant. Quòd si dispensationem, iusto impedimento cessante, exhibere intermittant, Ordinarij collatores beneficia, tanquam non canonicè acquisita, & ipso iure vacantia personis idoneis conferre debent, iuxta c. de multa, 28. de præb. & extranag. execrabilis, eod. tit. Sin autem dispensatio super pluralitate beneficiorum incompatibilium sufficiens exhibeatur, tum nihilominus attendere debet Ordinarius, vt pro-

vt prouifus officio fuo in pluribus beneficijs fatisfaciat, neque cura animarum aut alia debita feruitia negligantur. Quod fi denique exhibita difpenfatione dubitetur, num ea fufficiens fit, tum Sedes Apoftolica confulenda erit.

S. In conferendis.

Habenti duo, vel plura incompatibilia beneficia, (cuiusmodi funt curata, ac dignitates feu perfonatus) aliud fimile conferri non debet; nifi prius oftendat, fe fuper prioribus fimul poffidendis legitimam difpenfationem Papalem obtinuiſſe. Ea autem oftensa, tum demum aliud fimile difpenfato conferri poteft, fi vel vna cum obtentis vi eiusdem difpenfationis aliud confequi valeat; vel fi prius obtenta dimittere paratus fit. Alioquin noui beneficij collatio irrita erit.

SUMMARIUM.

1. Ordinarij eſt inquirere, an beneficiatus ad beneficia canonicè inſtitutus fit.
2. Si iuris præſumptio eſt contra poſſeſſorem, cogi is poteſt ad exhibendum titulum.
3. Ordinarius tenetur admittere difpenſationem Papæ ſuper pluralitate beneficiorum, aut incompatibilitate, dubitans tamen de eius valore, ad Papam recurrere debet, & compellere difpenſatos ad beneficia rectè adminiſtranda, vel dimittenda.

Quænam ſint beneficia incompatibilia, vt fimul poſſideri non poſſint, abſque Sum. Pontif. difpenſatione, dixi in c. dudum, 54. de elect. & lib. 4. Th. mor. tr. 2. c. 8. aſſert. 2.

NOTANDVM I. Ad Ordinarium ſpectat inquirere, num beneficiati ad beneficia canonicè inſtituti fuerint. Nomine autem Ordinarij ſecundùm materiã ſubiectam intelligitur hoc loco, qui inſtitutionem ac deſtitutionem in beneficijs habet, vt Gl. hic notat ver. locorum.

NOTANDVM II. Si notorium fit, aliquem ipſo iure priuationem beneficij, vel pœnam

aliquam incurriſſe, Ordinarius iudex tempus aliquod ſtatuerè poteſt ad excuſationem afferendam, quam ſi non attulerit reus, abſque aliã iudicis ſententiã, ſententiã à lege decreta executioni mandari poteſt. Ita cum Domin. in c. cum ſecundùm, §. confifcationi, de hæret. in 6. notauit Alex. de Neuo in c. peruenit, n. 14. de appell.

NOTANDVM III. Si iuris præſumptio ſit contra poſſeſſorem, cogi poteſt ad exhibendum titulum; vt in calu huius c. ad exhibendam difpenſationem Papalem ſuper pluralitate beneficiorum incompatibilium. Ita hic Archidiaç. & Petr. Ancharanus not. 2. vbi addunt, & colligitur ex textu huius c. Si intra terminum præſinitum titulus non exhibeatur, quod poſſeſſor iniuſtè detinere præſumatur, ideòque per ſententiã priuari, aut priuatus declarari, ac beneficium alteri conferri poſſit.

Vtrum verò beneficium vnum, vel plura compoſſibilia poſſidens, ad oftendendum titulum ab Ordinario cogi poſſit, diſputant Ioan. Andr. & Gl. ſuper c. 1. de reg. iuris, in 6. & alij Canoniſtæ in c. dilecto, 25. num. 8. de præb. Ancharanus hic oppoſ. 3. Summa eſt: Quod non poſſit compellere ad titulum exhibendum, ſi beneficiatum in poſſeſſione pacifica aliquamdiu tolerauit, cum ſit præſumptio pro poſſeſſore: Nihilominus contra eum procedere poteſt, oftendendo non canonicè inueſtitum fuiſſe, vt ſumitur ex c. dilecto.

NOTANDVM IV. Licet Ordinarius difpenſationem Papæ ſuper beneficiorum pluralitate, aut incompatibilitate admittere teneatur; atque orto dubio de difpenſationis valore, illud diſcutere ipſe non poſſit, ſed ad Sedem Apoſtolicam, vnde emanauit, remittere debeat, vt i habetur in hoc c. §. Si verò; nihilominus compellere poteſt difpenſatos, ad beneficia rectè adminiſtranda, aut dimittenda. Quandoquidem Papæ intentio nec eſt, nec eſſe poteſt ita difpenſandi, vt animarum cura, aut diuina officia negligantur; Neque per difpenſationem Papalem adimitur Ordinarijs poteſtas, imò officium & obligatio, per quam prouidere tenentur, vt beneficia

neficia sibi subiecta rectè administrentur. Ita notat hic Petr. Ancharan. not. 5. Ioan. Andr. in addit. Gl. ver. cura.

CAPITVLVM IV.

Quia plerique.

PARAPHRASIS.

Perperam agunt Prælati, & castigatione digni sunt, qui subditos suos sub censuræ comminatione, aut iuramento astringunt, ne superioribus Prælatis, vel Apostolicis Legatis, aut Inquisitoribus statum Ecclesiarum, vel personarum inquirentibus exponant. Atque eiusmodi sententiæ, promissiones, & iuramenta irrita, & inania esse decernuntur.

SUMMARIUM.

1. Promissio non obligat, si facta sit contra ius publicum, vel contra obedientiam Superiorum.
2. Neque obligat facta de re illicita, etiam si iuramentum accedat.

NOTANDVM I. Promissio non obligat, si facta sit contra ius publicum, vel contra obedientiam Superiori debitam. Nam *primatum* conuentio iuri publico non derogat, reg. 45. ff. & c. si diligenti, 12. de foro compet. Et *in malis promissis fidem non expedit obseruari*, reg. 69. in 6. Cum impossibile sit, aliquem obligari ad id, quod sine scelere impleri nequit. Cum itaque subditus legitime interroganti Superiori veritatem edicere teneatur, ideo non potest ille se obligare ad tacendum. Vide quæ dixi lib. 3. tr. 3. p. 2. c. 4. assert. 8. & tract. 6. c. 2. n. 3.

NOTANDVM II. Promissio de re illicita non obligat, tametsi iuramentum accedat. Nam *iuramentum institutum non fuit, vt esset vinculum iniquitatis*, c. quanto, 18. de iureiur. Et reg. 58 in 6. *Non est obligatorium contra bonos mores præstitum iuramentum.*

CAPITVLVM V.

Vt litigantes.

PARAPHRASIS.

Vt litigantes à laboribus, & expensis releuentur, statuit Bonifac. VIII. ne Archiepiscopus causas subditorum Coëpiscopi, quæ per appellationem, vel aliàs iure metropolitano ad ipsum deuoluta est, alibi cognoscere, aut cognoscendam delegare possit, quàm in propria ciuitate, aut diocesi, vel in eadem diocesi, ex qua causa profecta est: præterquam si per consuetudinem aliud obtentum sit.

SUMMARIUM.

1. Archiepiscopus de iure communi non potest causam cognoscere in diocesi Coëpiscopi, nisi ex ea ad ipsum deuoluta sit.
2. Causa appellationis secundum ius canonicum delegari potest etiam à non Principe, seu supremo iudice.

NOTANDVM I. Discrimen est inter Legatum ad plures prouincias destinatum, & Archiepiscopum pluribus diocesis presidentem: Quod ille in quouis prouinciarum loco causas cognoscere possit per se, vel per alium, c. nouit, 7. de offic. Legati. At verò Archiepiscopus, spectato iure ordinario, non potest causam cognoscere in diocesi Coëpiscopi, nisi ex ea ad ipsum deuoluta sit. Ratio discriminis est: Quia Legato in omnes legationis suæ prouincias iurisdictionis exercitium competit: Sed Archiepiscopus iurisdictionem non exercet in diocesis Coëpiscoporum, præter casus iure ipsi permisos. Ita notat hic Ancharanus not. 2. Dixi autem, iure ordinario non posse Archiepiscopum causas cognoscere in qualibet diocesi prouinciæ.

Excipitur enim primò; Nisi consuetudine aliud receptum sit: Secundo; Nisi partes consentiant, vt in alio loco, seu diocesi causa tractetur, arg. c. statutum, 12. §. in nullo, de

Yyyy rescript.

refeript. in 6. Dummodò etiam Ordinarius loci contentus sit, vti constat ex c. 1. eod. de offic. Ord. in 6. & notauit Gl. hinc ver. expensis, Dominic. Gl. 2.

Sed in diocesi, vnde causa profecta est, Archiepiscopus eam iudicare potest, per se, vel per alium. Imò addendum est, quòd causæ mediocritas, & itineris longinquitas sæpe non permittat, vt causæ appellationum in Metropolitana Curia audiantur, ideòque in diocesi litigantium per delegatum expediri debeant, arg. l. cum post, 26. C. de appellat.

2 NOTANDVM II. Causa appellationis secundum ius canonicum delegari potest etiam à non principe, seu supremo Iudice. Ita hic, & c. super quæstionum, 27. ver. Nos autem, de offic. delegati, & docent Imola, & Abb. in c. ex literis 4. paulò post princ. de in integrum restit.

CAPITVLVM VI.

Si Episcopus.

PARAPHRASIS.

Si Episcopus diocesim non per se, sed per alium visitet, visitatori ipsemet providere debet necessaria, videl. famulos, equos, salarium, iuxta c. inter cætera, 15. extra, hoc tit. Visitati autem solùm præbere coguntur necessaria ad victum, iuxta c. 1. & seqq. de censibus, in 6.

SVMMARIVM.

1. *Nomine victualium comprehenditur cibus & potus, non famuli, vestes, & c. nomine autem alimentorum præter victum etiam alia ad sustentationem necessaria comprehenduntur.*
2. *Episcopus non personaliter visitans, à visitatis per alium nil potest exigere.*

1 NOTANDVM Vn. Nomine victualium non comprehenduntur famuli, vestes, equi, salaria: sed cibus, & potus, iuxta l. Diarijs, 21. ff. de alimentis, vel cibarijs legatis: Quare & diarium appellari solet, quod in

vnum diem alicui ad victum ministratur. Sed nomen alimentorum præter victum, etiam alia ad sustentationem necessaria, vt vestes, habitationem, & c. comprehendit, l. legatis, 6. ff. eod. & dixi lib. 5. tr. 10. p. 3. c. 5. n. 7. §. Tertium.

§. Idem.

Episcopus ob id, quòd personaliter non visitat, à visitatis per alium non potest quidquam exigere. Ratio est: Quia procuraciones seu victualia debentur ratione visitationis, iuxta c. cum venerabilis, 21. & c. procuraciones, 23. de censibus: Ergo si Episcopus personaliter non visitet, nihil exigere potest: sed ille accipiet, per quem Ecclesie visitantur.

Simile quiddam est: Subditi in Germania, præsertim coloni originarij, domino suo aduentanti, aut prætereunti angarias seu vehiculares præstationes debent, obsequij causa. Quòd si verò accidat, vt nunquam, aut rarissimè ad aliquem locum accedat, non potest loco eiusmodi angariarum aliud quippiam exigere: Multò minùs ius angariarum vicino alicui domino vendi potest, partim quia hæ angariæ obsequij causa domino personaliter præsentem ex antiquissima consuetudine debentur, non alteri: partim quia angariæ inter regalia numerantur, quæ vendi seu alienari non possunt.

CAPITVLVM VII.

Cùm Episcopus.

PARAPHRASIS.

Episcopus tanquam Ordinarius Iudex, per se vel per alium in quouis loco diocesis suæ non exempto, pro tribunali sedens, causas ad forum ecclesiasticum spectantes audire potest, atque personas ecclesiasticas, cum earum excessus ita merentur, capere, & incarcerare; atque reliqua, quæ ad eius officium spectant, liberè exercere.

SUMMARIUM.

1. *Episcopus in diœcesi sua ordinariam generalem iurisdictionem obtinet; non item Archidiaconi, & inferiores Prælati.*
2. *Locus intra diœcesin exemptus æquiparatur loco extra diœcesin quoad exclusionem iurisdictionis Episcopi, non autem quoad alia.*
3. *Iudex Ecclesiasticus per suos ministros criminofum capere, & incarcerare potest, etiam laicum, non tantum ob crimen hæresis, sed etiam ob alia, quæ vel merè ecclesiastica sunt, vel mixti fori, ut periurium, blasphemia, &c.*

NOTANDUM I. Episcopus in diœcesi sua ordinariam generalem iurisdictionem obtinet. Quod Gl. magna hic not. 1. ait esse proprium Episcopi; adde tu, vel alterius Episcopalem iurisdictionem in territorio omnimodè exempto exercentis. Non ita verò Archidiaconi, & alij inferiores Prælati territorium iurisdictionis suæ habere censentur. Quod èd inferuire, admonet Glossa; Quod si Clericus peregrinus in Archidiaconatu delinquat, Archidiaconus eam suâ auctoritate punire non possit, sed Episcopus, tanquam proprius & generalis loci Ordinarius.

NOTANDUM II. Locus intra diœcesin exemptus æquiparatur loco extra diœcesin; quod attinet ad excludendam iurisdictionem Episcopi: Non autem quoad alia, secundum Gl. in Clem. frequens, ver. primo anno, de excessib. Prælat. Habet autem Episcopus intentionem iurisdictionis sibi competentis ex communi iure fundatam erga loca, & personas intra diœcesin consistentes: ut si exempto aliqua prætendatur, ea ostendi debeat, ut hic notavit Gl. ver. habere, Petr. Ancharan. not. 1. & sumitur ex c. cum personæ, 7. de priuil. in 6.

NOTANDUM III. Iudex Ecclesiasticus, videl. Episcopus, vel simili potestate præditus, per ministros suos criminofum capere, & incarcerare potest. Id verò indubitatum est, quoad personas ecclesiasticas; imò

etiam laicos in crimine hæresis, iuxta c. vt commissi, 12. & c. vt inquisitionis, 18. de hæreticis, in 6. Sed dubium est de laicis, vtrum ab Episcopo capi & incarcerari possint ob alia crimina, quæ vel merè ecclesiastica sunt, vt simonia, &c. vel mixta, seu vtriusque fori, vt periurium, blasphemia, sacrilegium, &c. Negant hîc Ioan. Andr. & Ancharanus, Felinus in c. cum sit, n. 20. de foro compet. arg. huius c. Quia Pontifex ait, Episcopum ecclesiasticas personas capere posse propter delicta: Ergo id ipsum negare videtur de laicis. Sed contrarium rectè docet hîc Domin. Geminianus col. 2. Felinus, seu additio eius loco cit. Did. Couar. in præct. qq. c. 10. n. 2. Iulius Clarus in præct. crimin. q. 37. n. 8. testantes ita in Gallijs & Hispanijs obseruari, Cardinal. Tuschus ver. Episcopus, concl. 253. D. Martha de iurisdic. p. 1. c. 50. n. 8. Nam Episcopus in foro suo ecclesiastico exercet imperium merè, ad quod pertinet ius facinorosos capiendi, incarcerandi, puniendi, uti constat ex c. 1. extrâ, hoc tit. & docent DD. in l. imperium, 3. ff. de iurisdic. omn. iudicum, Mol. tr. 5. de iust. disp. 7. Atqui non tantum Clerici, sed etiam laici in quorundam criminum causis foro ecclesiastico Episcopi subduntur, uti constat ex ijs, quæ dixi lib. 4. tr. 9. c. 2. Ergo, &c.

Ad argum. ex hoc textu desumptum, respondet Domin. Argumentum à sensu contrario efficax non est, si in oppositum habeantur iura expressa: sed quod Episcopus ius habeat, incarcerandi, & castigandi laicos propter crimina ecclesiastica, apertè sumitur ex c. contra idolorum, 10. iun. Gl. causa 26. q. 5. & alijs iuribus.

Responderi etiam potest; Ideo Bonifacium personarum ecclesiasticarum mentionem fecisse, quia in eas generatim & indifferenter iurisdictionem Episcopus exercet; non item in laicos, sed tantum respectu certarum causarum, seu criminum, quæ hoc loco specificare ac distinguere Pontifici propositum non erat.

Confirmatur: Ideo contrariæ sententiæ Doctores negant Episcopo erga laicos ius capturæ, & carceris; quia ipse spiritali pœ-

na contentus esse debeat, & temporalem Iudici seculari relinquere, saltem si loquamur de criminibus mixti fori. Quæ doctrina si vera esset, neque pœnam seu multam pecuniariam Episcopus laico inferre posset, v. g. ob blasphemiam, clericum percussorem, aut immunitatis Ecclesiasticæ violationem: cum tamen oppositum seruetur in praxi, & consentiant DD. communiter apud Tuschum ver. Episcopus, concl. 253. & alios allegatos supra: & consentit Trident. sess. 25. c. 3. de reform. vbi tamen adiungitur, quod multæ causis pijs applicari debeant.

CAPITVLVM VIII.

Quamuis.

PARAPHRASIS.

Canonici regulares, aut seculares, quibus per consuetudinem, aut priuilegium competit, cessationem à diuinis officijs indicare, non possunt id agere, nisi omnes, etiam absentes vocentur, sicuti mos est conuocandi ad electionem Prælati: Tum verò præmissa deliberatione, si cessandum esse iudicetur, Episcopo aut alteri Clerico, vel laico, ob cuius iniuriam cessatio indicenda est, insinuare debent, vt iniuriam, vel offensam emendet. Quod si fecerit, intermittenda erit cessatio. Sin recuset, & Capitulum ad cessationem procedendum esse arbitretur, vtraque pars, videlicet cessans, & contra quam cessatur, intra mensis spatium iter ad Sedem Apostolicam per se ipsos, vel per Procuratores arripere debent, acta & munimenta simul afferentes, & quamprimum fieri potest, coram Papa se præsentantes, vt negotio finis imponatur: Alioquin, si hæc non seruet pars cessans, non obstante cessationis seu organorum suspensionis edicto, diuina officia, vti prius, celebranda erunt. Vide Gl. hîc ver. mittendo.

* * *

SUMMARIUM.

Canonici ex tribus causis cessationem à diuinis instituire possunt. 1. Propria auctoritate, si id eis consuetudo permittat. 2. Ex decreto Comitij prouincialis. 3. Ex mandato Episcopi, seu superioris Ordinarij.

Aduertendum cum Petr. Ancharano in forma. Quod Canonici ex tribus causis cessationem instituire possint: Primò, Propria auctoritate, si id eis consuetudo permittat: tunc seruare debent formam in hoc c. traditam.

Secundò; Ex decreto Concilij prouincialis, tunc obedire tenetur, absq; vlla mora, & antecedente discussione, vti colligitur ex Clem. 1. de sent. excomm.

Tertio, Ex mandato Episcopi, seu Superioris Ordinarij: Id verò dupliciter fieri potest; Vel enim Superior cessationem fieri imperat, cum negotium antè non discussum, consequenter discussionem ipsis Canonici relinquit, tum obseruare debent formam hîc traditam. Vel Superior cognita causâ cessationem à diuinis indicendam esse decreuit, solamque executionem mandat Capitulo; tum obseruari non debet forma hîc tradita. Sed nec ipsemet Superior eam obseruare tenetur, cum Capitulo speciatim præscripta sit, ideòque tanquam exorbitans à iure communi, & ius speciale, ad alios casus aut personas extendenda non sit.

CAPITVLVM VLT.

Præsenti.

PARAPHRASIS.

Prælati, aliæque Ecclesiasticæ personæ vacantium dignitatum, personatum, aut Ecclesiarum, ad suam collationem, præsentationem, vel custodiam pertinentium redditus occupare, vel in vsus proprios conuertere prohibentur; cum ij ad vtilitatem earundem Ecclesiarum seu beneficium applicari, vel successorij referuari debeant.

beant. Alioquin Episcopi ab ingressu Ecclesiæ, alij verò ab officio & beneficio tamdiu suspensi manent, donec acceptum restituerint. Excipitur tamen, nisi Prælatis, aut alijs personis ex speciali privilegio, aut legitime præscripta consuetudine, aut alia rationabili causa ius cõpetat redditus beneficij vacantis accipiendi: Id verò ita intelligi debet, vt ante omnia deducantur debita, necessariæ item expensæ, aliæque onera beneficio incumbentia.

S U M M A R I V M.

1. Mortuo Prælato, aut Beneficiato, fructus ab ipso collecti, & qui vacante Ecclesia, aut personarum percipiuntur, in eiusdem ecclesiæ, aut personarum utilitatem, vel futuro successoribus cedunt, aliud est de fructibus à beneficiato collectis.
2. Bona alicuius censeri debent, deductis debitis; annui autem proventus, deductis expensis necessarijs, & præstandis oneribus.

NOTANDVM I. Mortuo Prælato, aut beneficiato, fructus ab ipso collecti, &

qui vacante Ecclesia, aut personarum percipiuntur, ad eiusdem Ecclesiæ, aut personarum utilitatem conuerti, vel futuro successoribus referuari debent. Sed quod attinet ad fructus à beneficiato collectos distinguendum est, cum Petr. Ancharano hic: Vel beneficiatus habuit tantum administrationem reddituum, qualem habere solent Episcopi, & aliarum Ecclesiarum collegiatarum Prælati, tum indistinctè seruari solet, quod in hoc c. dicitur. Vel beneficiatus habuit dominium reddituum, sicuti Parochi, Canonici, & similes beneficiati habent: tum variæ sunt ecclesiarum cõsuetudines. Quibusdam enim locis liberè testantur de Ecclesiasticis redditibus, quos collegerunt; imò ijs ab intestato morientibus proximi consanguinei succedunt. *Qua* de re dixi in lib. 4. Theol. moral. tr. 2. c. 3. q. 1. Alijs locis Episcopus huiusmodi redditus accipit: quod per consuetudinem licitum esse potest, vt ex hoc c. constat.

NOTANDVM II. Bona alicuius censeri debent, deductis debitis; & proventus annui æstimantur, deductis necessarijs expensis, & præstandis oneribus, l. fructus, 7. ff. soluto matrimonio.

TITVLVS XXXII.

DE OFFICIO IVDICIS.



Ostquam de Iudicibus tum delegatis, tum ordinarijs dictum est, subiicit Compiler tit. de Iudicibus in communi, imitatus nimirum ordinem ff. veteris, in quo post specialium Magistratum ac delegatorum Iudicum officia, agitur in communi de omnium Iudicum iurisdictione, lib. 2. tit. 1.

CAPITVLVM I.

Ex literis.

PARAPHRASIS.

Controuersia orta erat inter Abbatem ac Conuentum Fossæ nouæ, & Abbatem ac Conuentum Monasterij Canensis, super

Yyyy 3

per